

Baptista Innocentius  
Te Bureck.

P. BA  
O.S. BEN  
PHIL

A  
Lyde

METAPHYSICAE  
PARS PRIOR,  
COMPLECTENS  
ONTOLOGIAM  
AETIOLOGIAM  
ET  
COSMOLOGIAM,  
COMMODA TYRONIBUS METHODO  
ADORNATA  
*Innocentius Brueck,*  
P. BARDONE HERBERTH,  
O.S. BENEDICTI AD S. SALVATOREM FULDAE PROFESSO,  
PHILOSOPHIAE ET THEOLOGIAE PROFESSORE  
PUBLICO ORDINARIO.

*Betholle* F U L D A E,  
ANNO M D C C L X X V I.

*Sig. Bergensis*



AD CYPRIANUM

Phil 439.

DEUTERO

1 CORINTHIANI

1 CORINTHIANI

1 CORINTHIANI

1 CORINTHIANI

1 CORINTHIANI

1 CORINTHIANI

1402 745 01



## METAPHYSICAE PROOEMIUM.

### § I.

*Metaphysicae nomen unde derivetur, & a quibus illud primum usurpatum sit?*

Metaphysicæ nomen a graeco μεταφυσικα communiter derivant ita, ut Metaphysica Latinis idem ac post physicam, seu physicis (intellige libris seu scriptis) adjecta significet; non defuere tamen, qui metaphysicæ vocabulūm a μεταφυσικη derivari, graecumque μεταφυσικη latine trans seu supra (physicam scilicet sive naturam) interpretandum esse contenderint.

Fuit autem nomen istud, quo Aristotelis quidem libri quidam insigniti sunt, diu post Aristotalem incognitum, & nonnisi Caji Julii Caesaris

A

ae-

Baptista Inno-

aetate inventum esse videtur: quo scilicet tempore Tyrannio Amisenus grammaticus & Andronicus Rhodius libros Aristotelis in classes digerendos adsumsere; quorum cum alios quidem ad Logicam, ad Physicam alios, & alios tandem ad Ethicam retulissent, ac quidam superessent, qui ad neutram dictarum classium pertinere viderentur, physicis illos adjecere, & eo, quo dictum est, nomine insignivere.

## § II.

*Metaphysicae nomen quid primum designaverit?*

Metaphysica igitur, prout nomen istud primum usurpatum fuit, aliud haud designabat, quam doctrinam Aristotelis sic dictis metaphysicorum libris quatuordecim comprehensam.

## § III.

*Qualis fuerit doctrina his libris comprehensa?*

Fuit autem doctrina his libris comprehensa subtiles quidem, sed saepe inutiles, ac pro more Aristotelis confusae disputationes de ente, prout ens est, ejusque causis primis & principiis (de his namque in libris illis agere propositum sibi fuisse, non uno ipse loco indicat; quod nisi indicasset, nemo forsitan conjectasset) nam & quid per ens, prout ens est, Aristoteles intelligat, summe semper inter Aristotelicos fuit controversum, nec ab

ul-

ullo satis unquam definitum est. *Vid. Hollmanni metaphysica prolegomena §§. I. & sequentibus.*

### § IV.

*Metaphysica haec quo in pretio sit habita?*

Quae Aristotelis doctrina, utut lubrica ac saepe inanis, non minus ac caetera illius scripta summo statim in pretio haberi coepit; & post nonnullas vicissitudines, quas subire coacta est (fuere namque, praesertim primis Ecclesiae saeculis, quibus illa summopere displicuit, quiue repudiato Aristotele in metaphysicis Platonem sequi maluerunt) tandem ab omnibus fere recepta, commen-tationibus compluribus, saepe tamen ipsa magis obscuris, illustrata dicam an foedata, & in scholis fere ad nostra usque tempora tradita fuit.

### § V.

*Quod in metaphysicam istam Philosophi quidam & jure quidem merito gravissime invecti sint.*

Unde nemini mirum esse debet, si viri alias doctissimi, & de philosophia quoque bene meriti, veluti inter alios Thomasius Langiusque, in metaphysicam gravissime invecti sint, & etiam nunc invehantur: & ille quidem metaphysicam esse dicat reginam, sed inter illas modo disciplinas, quae satagunt ingenii circa commenta astutorum ac otiosorum hominum detinendis, ne ad solidam rerum cognitionem aspirent; iste vero metaphysicos vocet homines, qui muscas captant, quibusque una febricula dentis terminorum crepundiis omnem demere potest sapientiam; & alii tandem metaphysicam ve-

*cabularium seu Lexicon vocum horrisonorarum nibilque significantium adpellent : etenim haec omnia, si de illa Peripateticoscholaisticorum metaphysica intelligantur, tam vera sunt, quam quae verissima.*

## § VI.

### *Metaphysica vera quid?*

Sufficient ista de metaphysica Peripateticoscholaisticorum dicta ; de vera nunc loquamur. In metaphysica notiones rerum abstractas, universales rite determinandas, indeque prima magisque generalia rationis seu humanae cognitionis principia distincte exponenda esse, adeoque metaphysicam disciplinam esse seu scientiam , in qua prima magisque generalia rationis sive scientiarum principia ordine seu methodo scientiis propriis traduntur, passim consentiunt, quotquot sunt, melioris notae Philosophi.

## § VII.

### *Metaphysicae distributio.*

Verum, licet circa notionem metaphysicae facile convenient, circa ejus tamen distributionem saepe admodum dissentient Philosophi: cum alii quidem plus, minus alii ad eam revocandum esse putent. Nos eam in Ontologiam primum, quae generalis, & Pneumatologiam, quae specialis dici consuevit, cum pluribus aliis dividimus; Ontologiam porro in Ontologiam sic stricte dicam,

Eam, Ac  
logiam ve  
nirem s

Quaenam

In fi  
pentracta  
notiones  
Possibilis  
&c. ad  
de retu  
sis uni  
univer  
natione  
Psychol  
taibus,  
perfecti  
ns medi

De pr  
Ex  
metaph  
scienti  
stantif  
per o  
prima  
vilem

Etiam, Aetioliam & Cosmologiam; Pneumatologiam vero in Psychologiam & Theologiam naturalem subdividimus.

### § VIII.

*Quaenam in singulis hisce metaphysicae partibus pertractantur?*

In singulis autem hisce partibus metaphysicae pertractantur: 1mo in Ontologia, sic stricte dicta, notiones rerum generalissimae, Entis videlicet, Possibilis, Existentis, Necessarii, Contingentis &c. adcurate determinantur. 2do In Aetiology de rerum inter se nexus, principiis itidem & causis universè agitur. 3to In Cosmologia hujus universi seu mundi notio expenditur, atque ex notione hac generali de eo disputatur. 4to In Psychologia de Anima ejusque natura & proprietatibus, & 5to in Theologia naturali de Deo & perfectionibus divinis, veluti existentia & caeteris meditationes philosophicae instituuntur.

### § IX.

*De praestantia, usu & necessitate metaphysicae.*

Ex his modo dictis manifestum esse putem, metaphysicam, dummodo scopo respondeat, scientiam esse argumenti non modo nobilitate praestantissimam, sed & insigni quodam usu, qui se per omnes plane scientias diffundit, utpote cum prima caeteris principia suppediter, admodum utilem, imo vero summe necessariam.

## § X.

*Primi Systematis metaphysici Conditores.*

Non quidem negari potest, jam veteres quae-dam ad metaphysicam pertinentia subtiliter aequ-ac solide pertractasse: nam, ut caeteros taceam, Aristotelem certe, virique hujus in disputando dex-teritatem non noscat oportet, qui sibi persuaderet, ni-hil eum in libris illis, quos metaphysicos exinde di-ctos fuisse jam supra meminimus, tradidisse ejusmodi, quod, ut systemati insertum legatur, dignum sit. Sed & Aristotelem doctrinam, quam in libris illis tradit, ex Platone praceptorē maximam saltem partem desumisse, explorata inter eruditos res est. Ex Patribus etiam Ecclesiae complures (eo-rum aliquos recenset P. Schaaf metaph. prooem. § 5.) in metaphysicis haud mediocriter versatos fuisse constat. Neque tandem, quae de metaphy-sicis a Peripateticoscholasticis disputata sunt, adeo inepta sunt omnia, ut nihil, quod ad rem vere pertineat, in eorum Scriptis reperire sit. Verum completum tamen & adcurate dispositum totius argumenti metaphysici Systema posterioribus in acceptis jure refertur; quos quidem hic omnes recensere nimis prolixum foret: in gratiam tamen tyromum quosdam commemoramus, suntque ex Catholicis Antonius le grand (edidit hic Syste-ma metaphysicae juxta principia Cartesii) Anto-nius Genuensis, & nuper tandem aliqui de S. J. Ex Protestantibus Wolfius, ejusque sectatores Baumeisterus, Crusius, aliique complures; silen-tio tandem praeterire non possumus cl. Feder, cuius lectionem enixe commendamus.

## § XI.

## § XI.

*Recentiorum quorundam in metaphysicis aber-  
rations.*

Quam bene meritos de metaphysica recentiores esse diximus, tam ipsi turpiter quandoque in ea aberrare nobis videntur; cum argumenta ad eam, nostro quidem judicio, minime pertinentia in illa pertractanda adsumunt; veluti si in Cosmologia de motuum legibus, caeteris disputant: ad Physicam enim (ni fallor; non fallor autem, si regulae subsistant, sicuti subsistunt plane: Physicum a posteriori seu ab experientiis, Metaphysicum vero a priori & ex notionibus duntaxat universaliibus philosophari decet) & non ad metaphysicam leges istae pertinent; utpote de quibus a posteriori solum seu per experientiam constare potest: aut si hypotheses sublefas, minime probabiles, & circa res humanum pene captum excedentes in metaphysica adcumulent, id quod Boscowichianis jure exprobratur.

## § XII.

*Vera in metaphysicis philosophandi metho-  
dus.*

Vera in metaphysicis philosophandi methodus haec nobis esse videtur, si notiones primum accurate determinentur, sique ad demonstrandum prius non adhibeantur, quam earum realitas rite sit investigata, imo vero plane habeatur comperta; si, quoties in ea quaestiones circa res alicu-

ius momenti difficiles occurunt, adcurata notio-  
num analysis instituatur, & rationum pondera  
utrinque expendantur, ut, quo possit ratio hu-  
mana pertingere, & ubi fistere debeat, perspicia-  
tur: etenim hac demum ratione fiet, ut vera a  
falsis, a dubiis & incertis certa rite discernantur,  
utque nec de iis, quae humanum captum superant,  
disceperetur inaniter, neque, quae certa sunt, in  
dubium procaciter vocentur.



ON-



# ONTOLOGIA

## C A P U T I.

DE PRIMIS AC PRAECIPUIS COGNITIONIS  
CERTAE PRINCIPIIS.

---

### § 1.


*Principium quid? quid ratio? duplex est, vel  
solida scilicet vel frivola seu adparens.*



Principium in genere definitur: quod aliquis in se continet rationem; ratio autem est id, ex quo intelligitur, cur aliquid sit potius, quam non sit, & cur hoc potius sit modo, quam alio quocunque. Duplex est, vel solida scilicet vel frivola, seu adparens; solida est, quando in ratione porro fundatur; secus frivola erit & solum adparens; nisi tamen prima sit vel ultima.

### A 5

### § 2.



## § 2.

*Principii divisio.*

Principium in scholis dividunt in principium, ut vocant, essendi & in principium cognoscendi; quam divisionem indiscussam interim relinquentes (inferius namque de ea dicendi locus erit) de principiis cognoscendi solum hic agemus.

## § 3.

*Principium cognoscendi quid?*

Est autem principium, ut vocant, cognoscendi id, quod rationem continet, cur aliquid pro vero admittatur. Sic, si Deum existere pro vero quis admittat ideo, quia ens necessarium est; haec propositio: *Deus ens necessarium est*, principium est cognoscendi: rationem enim continet, cur Deum existere pro vero quis admittit.

## § 4.

*Principium cognoscendi an & quando dici possit principium certitudinis?*

Haec eadem principia cognoscendi vocantur etiam & vere sunt principia certitudinis, quoties sufficientem aliquid pro vero admittendi rationem in se continent: certum est enim, quidquid pro vero admittitur cum ratione sufficiente, *Consulatur Log. Lib. 4to de certitud.* Est autem ratio pro vero alii quid admittendi sufficiens, ratio quaecunque solida sufficenter perspecta.

## § 5.

## § 5.

*Principium certitudinis aliud primum, alia sub-alterna sunt.*

Quemadmodum vero ratio vel prima est seu ultima (eadem haec est sub diverso solum respectu) vel subalterna; sic & principium certitudinis aliud primum, alia subalterna sunt. Principium certitudinis primum est, quod omnium ultimam pro vero aliquid admittendi rationem continet, seu quod caeterorum rationem in se continet ita, ut illius ratio in alio rursus haud contineatur; caetera, quae aliorum quidem rationem in se continent, at ita tamen, ut illorum ratio in alio rursus contineatur, subalterna sunt. *y nro oris in alia.*

## § 6.

*Principii primi characteres.*

Liquet igitur, primum cognitionis certae principium esse debere, 1mo universalissimum, seu tale, quod rationem caeterorum omnium in se contineat, 2do per se, ut ajunt certum, id est, nulla, saltem a priori debet posse adsignari ratio, cur ipsum sit verum. Quae si principii primi characteres esse dixeris; noti sunt principii primi characteres.

## § 7.

*Quodnam sit illud?*

Jam vero si advertamus, quid sit, quod homines quibusdam propositionibus, veluti sunt:  
*idem*

*idem non potest simul esse & non esse. Totum majus est qualibet sua parte &c. tam prompte & sine tergiversatione adsentiantur; experiemur aliam hic rationem haud subesse, quam quod dictarum propositionum veritatem evidenter quivis facile perspiciat: quodsi porro inquiramus, cur homines tam prompti sint ad adsentiendum omni, cujus veritatem evidenter semel perspexerunt, ulterior a priori haud valet adsignari ratio. Quidquid dici hic potest, est, non posse nos ei non adsentiri, cuius veritatem evidenter semel perspeximus; ad adsentiendum nos tunc quasi vi abripi, nullamque ne suspicionem quidem erroris nobis relinqui; ultimata igitur adsensus omnis ratio est evidentia; & quidni propositio isthaec: *Certum est, quidquid est evidens*, ceu primum cognitionis certae principium statuatur. Quo diluuntur simul objectiones contra absolutam principii hujus prioritatem alias moveri solitae.*

## § 8.

*De quibusdam aliis principiis.*

*Certum est, quidquid est evidens § praeced.* jam vero sunt propositiones quaedam, quarum veritas sola terminorum expositione a quovis facile evidenter perspicitur, veluti sunt, propositio jam memorata: *idem non potest simul esse & non esse. Quod est, certo est. Quidlibet vel est, vel non est. Nihil est sine ratione sufficiente &c.* Unde dictas has propositiones certas esse liquet. Quae propositiones cum porro sint ejusmodi, ut veritatis complurium aliarum rationem in se contineant; principiis & quidem primis ac praecipuis jure solent

lent ad censeri; speciatim prior *principium contradictionis*, quod omnium, seu absolute primum esse, fere ad Cartesium usque Philosophi passim opinati sunt, *identitatis seu hypotheseos admissae altera, tertia exclusi medii, & rationis tandem sufficientis quarta adpellatur.* Attamen de his singillatim differendi locus erit in subsequentibus.

---

## C A P U T II.

### DE ENTE.


---

#### § 1.

*Entis vocabulo quid intelligatur? cur a notione  
bac in Ontologia exordiamur?*

**E**ntis vocabulo intelligimus, quidquid cogitari potest aut concipi, seu quidquid vere est cognoscibile; adeoque rationem Entis in cognoscibilitate cum aliis constituimus. Quidquid contra cognoscibile non est, cogitari nequit, *Nonens* est. *Ens* igitur idem est ac *aliquid*, *Nonens* contra idem ac *nihilum*. Porro, cum in eo, quod sint *aliquid*, tandem convenient, quaecunque vel re ipsa existunt, vel existere saltem possunt, tam existentia scilicet quam possibilia, adeoque Entis notio sit universalissima omnium, utpote in quam omnes demum aliae resolvuntur; intelligitur, cur a notione ista hic exordiamur.

#### § 2.



## § 2.

*Cognoscibile quid sit?*

Proprie quidem & per se cognoscibile non est nisi realitas seu quod aliquid est, nempe positivum; improprietamen, seu per oppositae realitatis cognitionem ejusque e mente sublationem, negationes quoque & privationes cognosci queunt, atque sic cognoscibilitate saltem impropria gaudent. Repugnans vero, seu quidquid contradictionem involvit, nullatenus est cognoscibile, ut patet sensu intimo.

## § 3.

*Contradiccio quid?*

Contradictionem vero constituant positio & sublatio ejusdem, vel, ut alias exprimitur, adfirmatio & negatio ejusdem de eodem; ut si ponas A & hoc ipsum A simul tollas, vel si adfirmes extensum quid esse, & id ipsum extensum esse simul neges. Est autem haec ipsa contradictio vel patens & manifesta, vel occulta est & latens. *Vid.*  
*Logic. L. I. P. II. Cap. VI. §§. 8. 9.*

## § 4.

*Quod contradictionem involvit, Nonens seu Nihilum in sensu stricto est.*

Cum omne solumque, quod contradictionem involvit, omni destituatur cognoscibilitate §. 2.; intelligitur, cur illud *Nonens* seu *Nihilum* in sensu stricto, vere nimirum impossibile dicatur. Si

con-

contradic<sup>tio</sup> manifesta sit & patens, vocatur  
etiam absurdum, puta philosophicum.

## § 5.

*Principium contradictionis.*

Indeque suam habet certitudinem, metaphysicam scilicet seu absolutam propositio: *idem non potest simul esse & non esse*; quam principium contradictionis dici, atque ceu primum alias statui consueuisse, jam supra meminimus.

## § 6.


*Principium hypotheseos admissae, principium itidem exclusi medii.*

Quandoquidem vero idem non possit simul esse & non esse, §. *praeced.* evidenter intelligitur, id, quod est, certo esse: est enim certo, cuius oppositum esse nequit; cum sit necessario, ut inferius dicetur; item, quidlibet vel esse vel non esse. Unde patet, dictarum propositionum, quarum prior principium hypotheseos admissae, principium exclusi medii posterior vocatur, ut dictum est §. 8. *Cap. I.*, veritatem per principium contradictionis esse evidentem.

## § 7.

*Entis divisio in proprie & improprie tale.*

Cum Ens sit, quidquid est cognoscibile adeo, ut in cognoscibilitate bene constituatur Entis ratio; §. 1. *bujus Cap.* alia vero proprie & per se sint cognoscibilis.



gnoscibilia, veluti sunt realitates, positiva; alia autem nonnisi improprie & per alia cognosci queant, veluti sunt negationes, privationes, & quidquid negationem vel defectum aliquem involvit §. 2. *bujus Cap.*; intelligitur, Ens in Ens proprie & improprie tale haud immerito despisci.

---

### C A P U T III.

#### DE UNITATE, VERITATE, BONITATE, ORDINE ET PERFECTIONE ENTIS.

---

##### § 1.

*Cur de notionibus istis hic agatur?*

**C**um notionē Entis adeo connexae sunt notiones quaedam aliae, unitatis scilicet, veritatis, bonitatis, ordinis & perfectionis, ut unum, verum, bonum, ordinatum perfectumque Entis synonyma esse non pauci contendant, & alii, qui quidem synonyma illa Entis esse haud affirmant, unitatem tamen, veritatem, bonitatem, ordinem & perfectionem Enti necessario inesse, fateantur. Quare post expositam hactenus Entis notionem de notionibus istis hic agendum esse duximus.

##### § 2.

*Omne Ens unum est.*

Unum dicitur, quod indivisum est in se, & divisum a quolibet alio. Jam vero Ens quodlibet

imo

imo indivisum est in se; nihil enim eorum, quae simul ens constituunt, ab ente potest abesse; est etiam 2do divisum sive distinctum ab omni alio: ea namque, quae ens aliquod constituunt, simul alteri inesse nequeunt; quoniam nullum alias inter plura intercederet discriminem. Ens igitur quodlibet unum est.

## § 3.

*Unitas vel numerica est seu individualis, vel universalis. Universalis in genericam & specificam subdividitur.*

Unitas autem vel numerica est seu individualis, vel universalis; illa competit entibus, prout existunt, singularibus: haec entibus, quatenus per mentis abstractionem a nobis concipiuntur, universalibus. Unde realis, physica prior, formalis vero seu metaphysica posterior dici posset. Unitas universalis in genericam & specificam subdividitur. *Vid., quide de genere & specie dicta sunt Log. Lib. I. p. I. Cap. IV.*

## § 4.

*Omne ens metaphysice verum est.*

Veritatis (metaphysicae scilicet) nomine intelligimus convenientiam determinationum entis essentialium, seu immunitatem entis a contradictione in suis determinationibus praesertim essentialibus. Quare, cum ens sit cognoscibile, *Cap. praeced. §. 1.* & quidquid cognoscibile est, a contradictione debeat esse immune *cit. Cap. §. 4.; pa-*

ter omne ens esse metaphysice verum, vel metaphysice verum potius entis esse synonymum.

### § 5.

*Omne solumque ens metaphysice bonum est.*

Bonitatem metaphysicam in adpetibilitate communiter constituunt adeo, ut metaphysice bonum dicatur, quidquid est adpetibile, malum contra, quod adpetibile non est; adpetibile autem est, quidquid est cognoscibile: sicuti contra, quod cognosci nequit, neque adpeti potest. Unde manifestum evadit, omne solumque Ens esse metaphysice bonum, malum vero Nonens.

### § 6.

*In quolibet ente datur ordo.*

Ordinem definiunt, quod sit similitudo in modo, quo aliqua vel sibi coexistunt vel succidunt: qua notione ordinis suo loco commode ute-mur; dari autem in quolibet ente ordinem inde hic probamus, quod, quae enti insunt, omnia non promiscue sed juxta certas regulas seu leges sint conjuncta; veluti ut non jungantur inter se pugnantia, ut ita jungantur, quo ad fines praestitutos aptius evadat ens, &c.

### § 7.

*Perfectioentis duplex, essentialis & accidentalis.*

De perfectione ex instituto disputabimus in Aetiologya. Ens quod adtinet dupliciter illud dici-tur

tur perfectum, 1mo quatenus nihil eorum deest enti, quae requiruntur in eo, ut sit, quod est, adeoque sufficiat ad finem sibi praestitutum, 2do quatenus etiam illa insunt enti, quibus ornatur, & ad adsequendum finem suum aptius evadit; Perfectio prior essentialis, accidentalis posterior vocatur.

## § 8.

*Ens quodlibet essentialiter perfectum est.*

Ens igitur quodlibet essentialiter perfectum est: non enim per principium contradictionis mox expositum *Cap. praeced.* §. 5. deesse potest enti aliquid eorum, quae requiruntur in eo, ut sit quod est, adeoque sufficiat ad finem sibi praestitutum. De fine tamen a Deo, non ab hominibus enti praestituto intelligi ista debent: ad fines enim ab hominibus praestitutos non raro insufficientia sunt entia.

## § 9.

*An ē quo sensu omne ens in suo genere perfectum dici queat?*

Porro usu venit, ut ens in suo genere perfectum dicatur; quod tamen non uno semper eodemque sensu sumitur. Dicitur enim Ens in suo genere perfectum, 1mo, quatenus aptum est ad eum usum sive finem, ad quem a Deo destinatur; 2do, quatenus instructum etiam est omnibus iis, quae ad illud ornandum, utque ad finem praestitutum aptius sit, faciunt. In sensu priori ens omne in

suo genere perfectum esse, minime autem in sensu posteriori, ex dictis §§. 7. 8. manifestum est.

## § 10.

*An ergo quo sensu ens ente perfectius esse possit?*

Tandem ens ente dicitur esse perfectius & jure quidem meritissimo, 1mo vel ratione perfectionis solum accidentalis, 2do vel ratione perfectionis etiam essentialis, quatenus finis scilicet, ad quem ad Deo destinatur, nobilior est atque praestantior.

---

## C A P U T IV. DE POSSIBILI ET IMPOSSIBILI.

---

## § 1.

*Possibile dupliciter accipitur.*

**P**ossible dupli in sensu potest accipi, prout nempe opponitur vel impossibili vel existenti. Possible prout opponitur existenti, metaphysicum, prout impossibili opponitur, logicum in scholis adpellabant.

## § 2.

*Possibile utroque hoc sensu acceptum quid?*

Est autem possibile, prout impossibili opponitur, quod nullam involvit repugnantiam, seu quod

quod a contradictione est immune, sive illud etiam reipsa existat, sive minus; prout opponitur existenti, est, quod nunc quidem reipla non existit, nec unquam forte extiturum est, existere tamen non repugnat.

## § 3.


*Quaedam ex dictis consecaria.*

Ex his, quae modo dicta sunt, sequitur 1mo possibile, prout impossibili opponitur, idem esse ac Ens, ejusque vere synonimum: sed, prout opponitur existenti, entis esse speciem. Sequitur 2do Possibile, prout opponitur existenti, nullum adhuc habere *esse reale* praeter illud, quod habet in intellectu illud praenoscente, adeoque 3to totum suum *esse* saltem *reale* ab eo (intellectu scilicet illud praenoscente) habere. *ut nonne autem.*

## § 4.

*Impossibile quid & quotuplex?*

Impossibile est, quidquid contradictionem involvit seu repugnantiam; qualis repugnantia cum vel absoluta sit & nulla posita hypothesi aut conditione, vel conditionata, posita nimirum conditione quadam seu hypothesi; impossibile nunc quidem absolute, nunc vero hypothetice seu conditionate solum tale est. Pro diversitate porro hypotheses, seu physicae scilicet seu moralis, hypothetice impossibile vel est physice vel moraliter tale. Sic partem majorem esse toto suo, absolute, praegrandem lapidem in aëre libero, nulloque supposito fulcro pendulum manere, physice, ma-



trem proli propriae vim inferre, moraliter est impossibile.

### § 5.

*Impossibile cum Incomprehensibili confundi non debet.*

Quod, quomodo sit, aut esse saltem possit, distincte perspicere non possumus, incomprehensibile vocatur; atque cum hoc confundi non debet impossibile: cum enim cognitiones rerum plerumque incompletas solum, nec comprehensivas unquam habere valeamus. *Vid. Log. L. I. p. I. Cap. IV. §§. 12. & sequentibus;* manifestum est, esse illud posse, quod quomodo sit, aut esse saltem queat, distincte perspicere non possumus, adeoque, quod incomprehensibile est, non esse continuo impossibile.

### § 6.

*Cautione pariter opus est circa possibilitatem.*

Cavendum est pariter, ne, quod saepe saepius contingit, possibile aliquid continuo dicamus, eoquod nullam in eo, praesertim incomplete solum & indeterminate cognito pugnam offendimus seu contradictionem: contradictione enim in ideis adhuc incompletis minusque determinatis facile latere potest.

### § 7.

*Reflexiones quaedam his super dictis necessariae.*

Ex dictis tamen minime etiam sequitur, non posse nos aliquid, quod speciem possibilitatis habet,

bet, quodque momentis licet insufficientibus pos-  
sibile nobis probatur, pro possibili tam diu ad-  
mittere, donec ejus ostendatur impossibilitas, ac  
illud contra rejicere ceu impossibile, quod nec  
speciem possibilitatis habet, quodque impossibili  
magis quam possibili simile est: etenim juxta le-  
ges cogitandi naturales veritatem non modo evi-  
denter & certo, sed probabiliter etiam cognitam  
amplectimur; adeoque, quod incomprehensibile  
est, pro possibili non admittere, nisi de illius ta-  
men possibilitate aliunde & per momenta specialia  
constet, nihil est a ratione alienum.

## § 8.

*Quaenam sint hujuscemodi momenta?*

Sunt autem momenta pro possibili incompre-  
hensibile admittendi sufficientia, 1<sup>um</sup> si illud rei-  
psa existere certo constet: ab existentia enim ali-  
cujus, quod mox ostendetur *cap. seq.*, ad ejus pos-  
sibilitatem bene concluditur. 2<sup>dum</sup> Aut si per  
revelationem de ejus possibilitate certiores redda-  
mur, &c.

## C A P U T V. D E E X I S T E N T E.

## § 1.

*Definiere existentiam difficile videtur.*

**I**n definienda existentia in vanum plures labora-  
runt: definitiones enim, quas in medium ha-

Etens protulere, definitio omnes multo sunt obscuriores. *Vid. Ont. P. Schaaſ. Cap. IV. §. 14.*  
Et profecto strictam existentiae definitionem dare omnino difficile videtur.

## § 2.

*Undenam ista in definienda existentia difficultas?*

Est autem ista existentiam definiendi difficultas inde, quod existentia sit nota differentialis ultima seu prima potius entium re ipsa existentium, per quam illa a mere possibilibus discriminantur; unde sequitur, ideam existentiae esse omnium simplicissimam, nec in plures ultra, genus nempe & differentiam resolvi posse: sine quibus tamen esse nequit definitio, logica scilicet seu stricte talis. *Vid. Log. de definit.*

## § 3.

*Reflexiones quaedam utiles ad conciliandam ideae existentiae majorem claritatem.*

Non igitur definitioni existentiae otiose immorabimur: ad conciliandam tamen ideae existentiae majorem claritatem notari volumus sequentia:

1. Ideam existentiae, ac primum quidem propriae, *id est*, animae nostrae ope sensus intimi adquirimus; de existentia quoque rerum extra nos positarum sensibilium aequa ac corporis proprii ex sensationibus convincimur. *Vid. Log. L. IV. p. I. Cap. XIII. §§. 1. 2.* Nos, seu animam potius nostram existere cognoscimus ut subjectum illarum affectionum, quas in nobis in-

intime persentiscimus, corpora vero seu res extra nos positas sensibiles ut objecta, ut medium tandem sensationum corpus proprium. Deum quoque seu Ens necessarium existere novimus, quia existunt contingentia, quae sine ente necessario existere haud quaquam possent.

2. Existentialia igitur alicujus nobis innotescit vel immediate (sensu scilicet intimo) veluti nobis innotescit existentialia affectionum animae; vel mediate solum, ex ipsis tamen animae affectionibus, quomodo nobis innotescit existentialia animae, existentialia quoque rerum extra nos positarum sensibilium, corporis itidem proprii; vel per existentiam denique alterius, quod sine eo existere haud posset; qua demum ratione Deus seu ens necessarium &c. existere a nobis intelliguntur.

3. Per principium *exclusi medii supra Cap. I.*  
§. 4. expositum, quidquid reipsa existit, singulare, *id est*, omnimode determinatum, seu tale est, ut ex praedicatis quibuscunque contradictione oppositis unum vel aliud, vel positivum scilicet vel negativum eidem conveniat. Universalia, utpote quae omnimode determinata non sunt, neque existunt, nisi vel in mente eadem cogitante, vel in singularibus, ut illorum scilicet determinationes. Singularia seu existentia, cur individua vocentur, inferius dicetur.

4. Existere plus est, quam esse solum possibile, seu quidquid reipsa existit, hoc ipso intelligitur esse possibile, sed non vicissim aliquid,

B 5

quod

quod est possibile, hoc ipso etiam existit. Inde propositiones in scholis notissimae: *Ab affirmatione existentiae ad affirmationem possibilis*, non autem ab affirmatione possibilis ad affirmationem existentiae: item a negatione possibilis ad negationem existentiae, sed non vicius a negatione existentiae ad negationem possibilis valet argumentum.

## C A P U T VI.

### DE NECESSARIO ET CONTINGENTE, MUTABILI ET IMMUTABILI.

#### § 1.

#### *Necessarium quid & quotuplex?*

**N**ecessarium est, cuius oppositum est impossibile. Unde, sicuti impossibile *Cap. III. §. 4.* ira & necessarium in absolute primum & hypothetice, & hypothetice porro necessarium in physice & moraliter necessarium dividitur.

#### § 2.

#### *Quid ens necessarium?*

Ens necessarium est, quod necessario existit: sive cui repugnat non existere; ens igitur necessarium ceu non existens cogitari nequit, neque proinde ut possibile in sensu, ut vocant, metaphysico, seu prout possibile opponitur existenti.

#### § 3.

## § 3.

*Contingens quid & quotuplex?*

Contingens est, quod esse quidem potest, potest tamen etiam non esse, sive quod nec esse repugnat, nec repugnat etiam non esse. Contingens pariter vel absolute vel hypothetice contingens est; atque sic, quod absolute quidem contingens est, hypothetice tamen potest esse necessarium: veluti quod juxta leges physicas in hoc universo fit, absolute quidem contingens, hypothetice tamen necessarium est.

## § 4.

*Quid ens contingens?*

Ad analogiam entis necessarii formare notio-  
nem contingentis difficile non est, nimurum quod  
sit illud, quod existere potest, & potest quoque  
non existere, sive cui neutrum, nec existere scilicet,  
nec non existere repugnat; ens igitur contingens  
cogitari potest ut non existens, seu ut possibile in  
sensu metaphysico.

## § 5.

*Quod contingenter existit, debet habere ra-  
tionem sufficientem suae existentiae.*

Quando, quod contingens est, re ipsa exi-  
stit, debet adesse aliquid, ex quo intelligatur, cur  
existat potius, quam non existat, id est, habere  
debet rationem existentiae sufficientem: *nihil enim*  
*esse potest sine ratione sufficiente;* quae propositio per  
se evidens & certa *principium rationis sufficientis*  
di-

dicitur. At latius tamen patet veritas praedictae propositionis, & principium rationis sufficientis ad ipsam quoque rerum possibilitatem bene extenditur. *Vid. Stattlerus Ontolog. Sect. I. Cap. I. §§. 7. sequentibus.*

## § 6.

*Quam rationem habere nequit nisi in ente necessario.*

Contingens vero rationem existentiae sufficientem neque in semetipso, neque alio contingente habere potest; non in semetipso, quod ex ipsa notione contingentis evidens est; neque in alio contingente: etenim & illud rursum contingens rationem habere debet in alio, atque sic quaestioni minime satisfit, donec perveniatur ad ens necessarium, utpote in cuius rationem ulteriorem inquiri nequit hoc ipso, quod necessario & per essentiam, ut a junt, existit. Contingens igitur rationem existentiae sufficientem habere nequit nisi in ente necessario.

## § 7.

*Quomodo inde probetur realitas notionis entis necessarii?*

Quod si igitur existant contingentia; evidens est existere & ens necessarium: unde ad probandum realitatem notionis entis necessarii, probasse sufficiet re ipsa existere contingentia, id quod difficile non est: rerum enim in hoc universo existentium contingentiam evincunt continuae, quae in iis observantur, vicissitudines, successiones &c.

## § 8.

## § 8.

*Entia contingentia sunt dependentia, independens  
vero ens necessarium.*

Ab alio dependere quid dicitur, imo vero dependet, quatenus in eo rationem habet suae existentiae; independens contra est, quod rationem sui in nullo alio habet; solum igitur ens necessarium independens, dependentia vero & quidem ab ente necessario sunt entia quaecunque contingentia.

## § 9.

*Unde sequitur, entia contingentia esse entia  
improprie talia.*

Contingentia igitur quaecunque negationem hoc ipso aliquam sive defectum involvunt, quod nempe independentia, seu a se ipsis non sint: unde sequitur, contingentia non esse nisi entia impropre talia. *Cap. II. §§. 2. 7.*

## § 10.

*Solum ens necessarium ens proprie tale est.*

Ens necessarium esse ens proprie tale, nemo facile negabit: sed &, si quis inficiari id praesumeret, ex ipsa certe notione entis necessarii convinci posset: quod enim necessarium, quod per essentiam, ut ajunt, ens est, ens proprie tale sit necesse est; cumque contingentia non sint nisi entia impropre talia §. *praeced.*; solum ens necessarium intelligitur esse ens proprie tale.

## § 11.

## § 11.

*Mutabile quid? quid immutabile?*

Quidquid aliter esse potest, quam est, mutabile; immutabile contra dicitur, quod aliter quam est, esse nequit. Unde intelligis necessarium, in quantum necessarium est, esse etiam immutabile; contingens vero, in quantum pariter contingens est, esse mutabile; sed speciatim hic quaeritur.

## § 12.

*Num, quidquid est mutabile, sit etiam contingens, seu an ens necessarium sit plane immutabile?*

Quam quidem quaestionem hic adhuc sufficienter resolvi non posse fatemur; suo tamen loco & quidem mox infra ostendetur, ens necessarium summe seu infinite potius perfectum, ac proinde prorsus esse immutabile; quo demonstrato evidens evadet, quod ens quomodounque mutabile necessarium esse non possit, atque sic debeat esse contingens.

## C A P U T VII. DE FINITO ET INFINITO.

## § 1.

*Finitum quid? quid infinitum?*

**F**initum est, quidquid negationem seu defectum aliquem involvit; Ens igitur infinitum esse intel-

ligis, quod *babet*, quidquid est realitatis sine omni negatione vel defectu.

## § 2.

*Consecaria ex definitionibus mox datis.*

Ex definitionibus mox datis evidenter perspiciatur veritas propositionum sequentium:

1. Ens infinitum est ens proprie tale, & vicissim ens proprie tale infinitum est; Ens contra finitum & ens improprie tale plane synonyma sunt; cumque, quod ex dictis *Cap. praeced.* liquet, ens necessarium sit ens proprie tale, contingens vero ens solum improprie tale; manifestum est pariter, quod ens necessarium sit infinitum, contingens autem finitum: unde quae de ente infinito in subsequentibus adhuc a nobis adferentur, ea de ente etiam de necessario valeare liquet, & quidquid de ente finito adstruetur, de ente quoque contingente debet obtinere; quod semel hic notasse sufficiet.

2. Ens infinitum ens est absolute necessarium, seu tale, cui repugnat non existere: quod enim non existit, nihil adhuc habet realitatis propriae; sed & ens non absolute necessarium neque independens, atque sic finitum est. *Cap. praeced.* §§. 8. 9. quod finitum est, contra contingens est.

3. Ens infinitum absolute immutabile est: non enim, quin infinitum esse desinat, aut novam succedente tempore realitatem adquirere, aut ali-

aliquid realitatis sibi propriae amittere potest; finitum contra est mutabile.

4. Infinito nec majus datur nec aequale. Non majus: quod enim infinito majus seu perfectius esset, plus illo realitatis haberet, quod manifeste contradictorium est; neque aequale: nam &, si infinito quid aequale foret, infinitum illud hoc ipso esse desineret; utpote cum ipsi, quidquid est realitatis numericae alterius, deesset.

5. Unde manifestum est & evidens, infinitum non dari nisi unum, & plura infinita omnino esse impossibilia.

6. Praeterea ex dictis adhuc liquet, Mathematicos vocem infinitum in significatione propria, ea scilicet, quam ei tribuunt Metaphysici, nequaquam adhibere, quando infinite parva, infinite magna, infinita infinitis majora minorave &c. adstruunt: extensum enim seu extensive, ut ajunt, magnum infinitum unquam esse nequit; sicuti infinitum ens simplex, spiritum infinite perfectum esse debere, suo loco inferius ostendetur.

### § 3.

*Quod Mathematicis infinitum idem plerumque fit ac indefinitum.*

Est vero infinitum, prout voce hac utuntur Mathematici, idem plerumque ac indefinitum seu tale, in quo termini vel limites aut definiti non sunt, aut definiri saltem ab homine non possunt.

### § 4.

## § 4.

*Indefinitum aliud absolute, aliud respective tale.*

Porro cum termini in aliquo vel absolute nulli, neque ab ente etiam infinite intelligenti, vel respective, seu ab ente solum finito & in cognoscendo limitibus circumscripto definiri queant; indefinitum dividitur in absolute & respective tale.

## § 5.

*Absolute indefinitum idem est ac infinitum.*

Absolute indefinitum ex dictis §. *praeced.* est, in quo nulli, ne ab ente quidem infinite intelligenti termini definiri queunt; illud autem, in quo ne ab ente quidem infinite intelligenti termini omnino ulli definiri possunt, nullos plane terminos seu limites habere necesse est: cumque, quod nullos omnino terminos habet, habere debeat, quidquid est realitatis sine negatione, sine defectu: intelligitur absolute indefinitum habere debere, quidquid est realitatis sine negatione, sine omni defectu, atque sic idem esse ac infinitum.

## § 6.

*An infinitum cognoscamus.*

Sunt, qui nullam nos infiniti habere, imo nec habere etiam posse cognitionem, contendant: alii contra probare nituntur, omnem, quam habemus, infiniti cognitionem esse mere negativam: quasi vero cognitio negativa sine positiva esse posset! profecto, quod cognitione infiniti positiva gau-

C

dea-

deamus, vel inde satis evincitur, quod de infinito ex ipsa notione multa positive demonstrentur  
vid. b. Cap. §. 2.

## C A P U T VIII. DE SUBSTANTIA ET ACCIDENTE, ITEM DE RELATIONE.

### § 1.

*Quaenam in hoc & subsequentibus duobus capitulo pertractanda sint?*

Prius, quam in entium divisione ulterius progressum diamur, notiones quasdam exponendas esse duximus, utpote quae ad pleniorum reliquorum captum facere nobis visae sunt: sunt autem notiones istae, substantiae, accidentis, relationis, essentiae, attributorum, modorum, identitatis & distinctionis &c; atque de his in hoc & subsequentibus capitibus seorsim disputabitur.

### § 2.

*Suprema cognoscibilium genera seu classes.*

Philosophi recentiores cognoscibilia quaeque ad tres communiter classes seu genera suprema solent revocare, substantiae scilicet, accidentis & relationis; & licet ista cognoscibilium distributio haud videatur esse reprobanda; definitiones tamen singularum, quas adducunt, plerumque valde suble-

stae

stae sunt & definitionum legibus minus conformes, praeferit illa substantiae. Has igitur notiones in capite praesenti, in quantum fieri id potest, exponere conabimur.

## § 3.

*Subiectum quid? quid determinatio?*

Ut aliquid, seu ens nobis cogitemus, distinguamus necesse est in eo, aliud quidem ut determinabile, ut determinans aliud; quod in ente concipitur ut determinabile, subiectum, quod ut determinans concipitur, subiecti determinatio vocatur.

## § 4.


*Materia & forma Peripateticoscholasticorum.*

Hanc quidem distinctionem in suis jam scholis adhibuere Peripatetici, subiectum *materiam*, subiecti determinationes *formam* appellantes; verum de his tam multa inaniter disputatione sunt, ut vix, quae ab illis desuper dicta sunt, legi mereantur.  
*Vid. P. Schaa. Ontol. Cap. II. §. 6. item Cap. IV.*  
§. 2.

## § 5.

*Divisio subjecti in absolutum & respectivum.*

Quod concipitur in aliquo ceu determinabile, vel concipitur ceu tale sub omni omnino respectu, ita, ut ceu determinans rursus ratione alterius haud concipiatur; vel ceu tale concipitur respectu solum unius



alteriusve, ita, ut alio iterum respectu ceu determinans concipi possit & debeat. Subiectum prius absolutum, respectivum posterius vocatur.

§ 6.

*Dicta exemplo illustrantur.*

Ut vero, quae dicta sunt, plenius intelligantur, eadem exemplo quodam illustrabimus. Intellectus v. g. ratione sagacitatis, profunditatis cert., quae eidem attribuuntur, concipitur ut determinabile, adeoque subiectum quidem, sed, quia ratione animae iterum concipitur ut determinans, respectivum solum: anima vero, utpote quae sub omni plane respectu concipitur ut determinabile, absolutum est.

§ 7.

*Substantia quid? quid accidentis?*

Atque hujuscemodi subiectum absolutum, ultimum nempe quarumvis determinationum vehiculum substantiam appellant; determinationes vero, ad quas pertinent etiam subiecta quaecunque solum respectiva, accidentis nomine veniunt. Accidens hic intelligitur praedicamentale, a quo in scholis distinguebant accidentis praedicabile, de quo cap. sequente. Porro in scholis distinguebant substantiam primam & secundam, completam & incompletam, ubi simul exponebant nomina: suppositum, persona &c.

§ 8.

## § 8.

*Accidentia scholarum absoluta absurdum sunt  
figmentum.*

Accidentia igitur non sunt nisi determinatio-  
nes subiecti seu substantiae, vel verius, ipsum sunt  
subiectum varie determinatum seu modificatum.  
Unde accidentia scholasticorum absoluta absurdum  
esse figmentum constat.

## § 9.

*Relatio quid?*

Relatio certus unius ad alia respectus est seu  
habitudo; quo quidem relationem stricte definiri  
non possumus contenti, ita indicari saltem aliquid,  
ex quo caetera de relatione scitu necessaria facile  
concludi queant, veluti sunt:

## § 10.

*Relationes quo modo a nobis cognoscantur?*

Relationes aliter quam mediante unius cum  
alio comparatione cognosci nequeunt: non enim,  
an & qualis inter aliqua respectus detur sive ha-  
bitudo, scire possumus, nisi illa inter se prius  
comparaverimus.

## § 11.

*In relatione, quatenus cognoscitur, quatuor  
consideranda sunt.*

In relatione, quatenus cognoscitur, quatuor  
consideranda veniunt; unum scilicet, quod refer-  
tur,

tur, sive subjectum, aliud, ad quod refertur, sive terminus, fundamentum seu ratio unum ad aliud referendi, & ipsa demum relatio seu comparatio unius cum alio.

§ 12.

*Relationes an rebus insint? an vero per mentem fiant?*

Ex dictis facile solvitur quaestio in scholis controversa: relationes an rebus insint? an vero per mentem fiant? relationem enim, si pro fundamento referendi unum ad aliud accipiatur, uti passim accepero prioris membra adsertores, rebus inesse, in dubium vocari nequit; sicuti certum est contra, relationem, si pro comparatione unius cum alio sumatur, quemadmodum sumserunt alii, pro veritate scilicet membra posterioris pugnantes, aliter quam per mentem fieri non posse. Attamen ex dictis pariter intelligere est, totam hanc scholarum controversiam meram fuisse & inanem de nomine litem: nam &, si vere loquamur, neutrum eorum, quae in controversiam ab iis adducta sunt, illud est, quod relationis nomine propriè venit; ut pater ex dictis.

§ 13.

*Omnis relatio mutua est.*

Quandoquidem etiam, quoties unum ad aliud refertur, certumque ad illud respectum habet sive habitudinem, roties alterum istud ad illud primum vicissim referri possit, & certum pariter ad illud respectum habeat (licet mutato saepe

pe referendi fundamento) quod facile probari posset inductione; intelligis, relationem quamlibet esse mutuam.

## § 14.

*Relatio an bene dividatur in essentialem & accidentalem?*

Relationem in essentialem & accidentalem quandoque dividunt Auctores; quae divisio, ni fallor, in relationis fundamentum magis quam in ipsam cadit relationem; ubi advertendum est porro, quod, cum enti in certa consideratione aliquid potest esse essentiale, quod eidem in alia quacunque consideratione solum est accidentale, ut patet ex dicendis de essentia, ita relationis quoque fundamentum enti, nunc quidem essentiale sit, nunc solum accidentale, prout nimis ens illud diverso modo consideretur. Sic homini, si consideretur ut Pater, essentiale est, generale; quod eidem, si consideretur ut homo, solum est accidentale.

## § 15.

*Quid ens absolutum? quid relativum.*

Ex haec tenus dictis nunc quoque intelligi poterit, quid ens absolutum sit, quid relativum? Ens scilicet absolutum est, quod quatenus ens est, seu cuius esse sine omni ad aliud respectu cogitari potest: ejusmodi ens absolutum esse ens necessarium, inferius dicitur; ens vero relativum est, quod quatenus ens est, seu cuius esse sine respectu ad aliud

aliud eogitari nequit: atque hujuscemodi entia, nimirum relativa esse entia quaecunque contingencia, ex dictis cap, 6. pater, & uberior patebit ex dicendis.

## § 16.

*Quaedam de relationibus adhuc notanda.*

De relationibus tandem notanda adhuc veniunt, immo quod relationes sint determinationes enti externae; neque proinde 2do aliquid novae realitatis enti superaddant &c.

## C A P U T I X.

DE ESSENTIA, ADTRIBUTIS ET MODIS  
ENTIS.

## § I.

*Divisio determinationum entis in essentiales &  
accidentales.*

**O**mne quidem ens, singulare scilicet sive existens, omnimode determinatum seu tale est, ut ex praedicatis contradictione oppositis unum, vel positivum scilicet vel negativum, eidem conveniat. Attamen inter has entis determinationes, aliae constantes sunt & invariabilis, quaeque eidem semper inesse deprehenduntur, variables aliae & inconstantes, quae, cum enti aliquando insint, aliquando ab eodem iterum abesse compiriunt-

riuntur. Piores, quatenus sine illis ens esse nequit, essentiales, modi vero seu accidentia (intellige praedicabilia *cap. praeced. §. 7.*) posteriores vocantur.

## § 2.

*Determinationes essentiales primariae & secundariae. Essentia, adtributa.*

Inter ipsas porro determinationes essentiales, eas nempe, sine quibus ens esse nequit, aliae sunt, sine quibus ne cogitari quidem potest ens, quaeque in ejus proinde conceptu seu notione necessario involvuntur; aliae sunt, quae, licet sine illis ens esse sive existere nequeat, in ipso tamen ejus conceptu primario non involvuntur, adeo, ut sine illis saltem cogitari adhuc possit ens. Illae, piores nempe, determinationes entis essentiales primariae, istae nimurum posteriores, secundariae, & quatenus ex primariis fluunt & intelliguntur, consecutivae vocantur. determinationes entis primariae simul sumtae entis essentiam constituunt; unde intelligis, cur essentia alias esse dicatur id, per quod quidlibet intelligitur esse id, quod est. Determinationes essentiales secundariae communiter dicuntur adtributa.

## § 3.

*Ex dictis consectaria.*

Ex dictis facile eliciuntur consectaria multarum denuo conclusionum fertilia, qorum pauca solum hic indicabimus; plura namque illis addere nec Tyronibus etiam, in modo deducendi

jam exercitatis erit difficile: Sunt autem: 1mo nullum ens esse potest sine tota sua essentia; unde fluit: 2do ubi tota entis essentia non est, ibi nequit esse ens &c. 3tio essentialia ab ente & a se ipsis sunt inseparabilia, & ipsa essentia seu numerus est indivisibilis. 4to essentiae sunt incommunicabiles, id est, tota unius essentia communicari seu inesse alteri non potest.

## § 4.

*Essentiae quotuplici modo spectari queant?*

Essentiae tribus maxime modis spectari queunt; vel enim spectantur ut existentes, seu ut rebus insunt revera existentibus, vel spectantur ut possibles; ut possibles porro considerari possunt, quatenus vel jam determinatae sunt, vel adhuc sunt indeterminatae. Quod ut melius intelligatur, advertendum est, essentias concipi posse seu numeros, determinationes autem, quae simul sumtae essentiam constituunt, seu unitates, ex quibus numeri componuntur. Unde, sicut numerus quisunque in unitatibus, sed indeterminatus solum, sic & essentia in determinationibus, at indeterminata pariter continetur. Determinata evadit essentia, quatenus ex determinationibus illis inter se compotibilibus aliquae in uno quodam unitae concipiuntur, sicuti determinatus evadit numerus, si certae componantur unitates.

## § 5.

## § 5.

*Ingens essentiarum multiplicitas.*

Unde intelligis ingentem & prope infinitam esse essentiarum seu contingentium revera possibilium multiplicitatem; non enim minus ac numeri sine fine queunt multiplicari,

## § 6.

*Essentiae an a voluntate, an ab intellectu saltem divino dependeant? vel an plane sint independentes?*

In scholis convertitur: essentiae an a voluntate, an ab intellectu saltem divino dependeant? an vero sive ab intellectu sive a voluntate divina sint independentes. Attamen ex dictis §. 4. buj. Cap. haud difficulter intelligitur, unumquodque in aliquo sensu vere posse adfirmari, atque sic totam illam controversiam litem esse de solo nomine: essentias enim (contingentium scilicet) si considerentur ut existentes, a voluntate divina dependere, nulli potest esse dubium; essentias etiam, solum quidem possibilis, determinatas tamen ab intellectu saltem divino dependere, certum est; essentiae autem, si considerentur ut possibilis & indeterminatae adhuc, seu ab intellectu seu a voluntate divina sunt independentes

## § 7.

*Essentia absoluta & respectiva, absoluta itidem & hypothetica.*

Essentia in absolutam adhuc & respectivam, in absolutam item & hypotheticam dividitur: Es-

sen-

sentia absoluta, prout absoluta scilicet opponitur respectivae, esse dicitur complexus illarum determinationum, quae omnino primae sunt omnium, quae alicui vel insunt, vel inesse etiam possunt, sive a nobis illae cognoscantur, sive minus; essentia vero respectiva est complexus determinationum, quae primae sunt reliquaruū saltem cognitarum. Essentia absoluta, prout hypotheticae opponitur, comprehendit, quidquid in conceptu alicujus quomodounque considerati necessario involitur, respectiva vero determinationum sub certo solum respectu, consideratione seu denominatione alicui essentialium complexum denotat; inde pendet resolutio quaestionum:

## § 8.

*An essentias rerum cognoscamus?*

Quae quaestio si de essentiis rerum absolutis, quatenus nempe absoluta opponitur respectivae, intelligatur; fatendum est, nullius plane rei essentiam a nobis cognosci: sicuti nullius rei ideam habemus comprehensivam; si vero de essentiis solum respectivis quaeratur; omnino adfirmandum est, nos multarum rerum essentias cognoscere.

## § 9.

*An unius rei unica solum detur essentia?*

Sic certum est pariter, unicam unius rei absolutam esse essentiam; bene ramen & non abs re plures ejusdem admittuntur essentiae solum respectivae.

## § 10.

## § 10.

*Essentiae an & quo sensu necessariae sint, aeternae & immutabiles?*

De essentiis tandem adhuc adfirmari solet, quod necessariae sint, aeternae & immutabiles; quae an, & quo sensu vera sint, ex dictis facile colligitur.

## § 11.

*Natura quid?*

Natura, quo sensu illam hic accipimus (solet enim aliter adhuc sumi natura, quemadmodum in Cosmologia videbimus) aliud non est, quam ipsa essentia, quatenus illa principium est mutationum in aliquo vel per aliquid possibilium.

## § 12.

*Modi cum essentia debent esse compossibiles; modos tamen revera inesse enti, ex sola essentia intelligi nequit.*

Modi determinationes entis accidentales, contingentes seu tales sunt, quae enti quidem inesse, ab eo tamen etiam abesse possunt; modi igitur rimo cum essentia omnino debent esse compossibiles: secus enim nunquam inesse enti possent, ut patet ex eo, quod ens sine essentia esse non potest §. 3. n. 1. *buj. Cap.*, & quod incompossibilia tamen seu inter se pugnantia enti simul inesse nequeunt. Neque tamen 2do, modos reipsa inesse enti, ex sola essentia potest intelligi; quoniam alias enti sem-

semper inesse deberent. Haec probe notanda sunt, ubi de modis quaestio occurrit: bene enim pro posibilitate, inepte vero pro existentia modorum comprobanda ab essentia petuntur argumenta.

---

## C A P U T X.

### DE IDENTITATE, DISTINCTIONE, SIMILITUDINE ET AEQUALITATE.

---

#### § 1.

*Identitas quid? quid distinctio?*

**I**dentitas, si nomen spectes, eandem denotat entitatem, seu idem esse. Unde intelligis, identitatem esse summam unitatem, unitatem scilicet essentiae. Identitati opponitur distinctio, quae proinde aliud non est quam diversitas sive discrecio, si ita loqui fas sit, objectiva unius ab alio.

#### § 2.

*Quaenam sint eadem, quaenam distincta?*

Unde intelligis, eadem esse, quae unam eandemque habent essentiam, unum idemque esse, seu inter quae nullum intercedit discrimen: sicuti distincta sunt contra, quorum esse diversum est, seu inter quae vere intercedit discrimen.

#### § 3.

## § 3.

*Identitas dividitur in singularem sive numericam & universalem &c.*

Identitas, quam summam unitatem esse diximus §. 1. buj. Cap., non minus ac unitas, vid. supra Cap. 3. §. 3., in singularem primo sive numericam & universalem dividitur; universalis subdividitur adhuc in genericam & specificam. De identitate universalis intelligendum est decantatum in scholis principium identitatis: *quaecunque sunt eadem uni tertio, eadem sunt etiam inter se.*

## § 4.

*Identitatis divisio in realem & formalem.*

Identitas porro dividitur in realem & formalem. Realis inter illa datur, quae re ipsa unum quid idemque sunt, licet a nobis forte ut duo concipientur: quemadmodum ut duo a nobis concipi solent intellectus & voluntas, quae tamen re ipsa una eademque simplex & individua anima sunt his facultatibus praedita. Formalis inter illa habetur, in quorum unius conceptu sive notione conceptus alterius necessario iuolvitur: uti in notione v. g. animalis involvitur notio corporis.

## § 5.

*Identitas vel adaequata est, vel inadaequata.*

Identitas in adaequatam rursus & inadaequatam bene dividitur. Identitas adaequata inter ea datur, quorum eadem est comprehensio, sive quo-

quorum uni nihil inest, quod non etiam insit alteri. Sic totum adaequate idem est omnibus suis partibus simul sumtis, & vicissim omnes alicujus partes simul sumtae adaequate idem sunt cum toto suo. Inadæquata inter illa habetur, in quorum uno continentur aliquid, quod non reperitur in alio; sic quaelibet totius pars seorsim sumta inadæquata idem est cum toto suo.

## § 6.

*Identitas physica quid? an proprie dici possit identitas?*

Tandem usuvenit, ut res eadem adhuc dicatur, etiam si multum a semet immutata sit: dummodo mutationes in ea sensim sine sensu, seu ita fiant, ut sensibus nostris haud percipientur. Sic senex decrepitus idem esse dicitur, qui fuit juvenis & puer, quamvis multum ab eo immutatus. At-tamen, me quoque non monente, quivis facile intelliget, identitatem hanc, quae physica vocari solet, non esse nisi identitatem improprie sic dicatam.

## § 7.

*Distinctio realis & formalis sive rationis.*

Quamvis, quae de identitate hactenus dicta sunt, distinctioni facile a quovis possint applicari; de distinctione tamen paucis differendum adhuc esse duximus, illius pariter divisiones enarrando, &, in quantum opus est, easdem exponendo. Divi-ditur autem distinctio non minus ac identitas, in realem primo & formalem sive rationis. Distin-ctio

Etio realis est, quae re ipsa datur, nemine adhuc de ea cogitante: veluti distinguuntur corpus & anima. Formalis sive rationis est, quando, quae re ipsa quidem unum aliquid idemque sunt, ceu plura tamen a nobis concipiuntur; ut concipiuntur v. g. intellectus & voluntas.

## § 8.

*Distinctio realis vel adaequata est, vel inadæquata.*

Distinctio realis in adaequatam rursus & inadæquatam subdividitur. Distinctio realis adaequata inter ea datur, quae ne inadæquate quidem idem sunt, ut corpus & anima. Inadæquata inter ea reperitur, quae inadæquate inter se identificantur, §. 5. buj. Cap. Sic totum a partibus singulis, seu a quavis parte scorsim sumta inadæquate distinguitur.

## § 9.

*Distinctio modalis quid? an sit realis?*

Distinctio, quae rem inter & ejus modum datur, modalis dicitur; eamque realem esse communiter contendunt; ut tamen ab alia, ea nempe, quae datur inter res, discernatur, realem minorrem vocant; qua in re consentire ipsis non possumus: distinctio enim modalis realis non est, sed formalis solum, ut patet ex pendenti, modum re ipsa esse substantiam modificatam, vid. supra Cap. 8. §§. 3. & 8.

## D

## § 10.

*Distinctio rationis ratiocinantis, item scotistica. Quid de distinctionibus his sentiendum?*

Distinctionem quoque rationis in scholis alias dividere solebant in distinctionem rationis ratiocinantis & rationis rationcinatae. Hanc esse dicebant, quae fit cum fundamento in re, seu cui objectum praebet occasionem. Illam absque omni fieri fundamento concedebant, adeo, ut vel ipsis non negantibus, sed id ultro adserentibus, mens pro arbitratu suo distinguat, ubi nullum nefingendae quidem distinctionis fundamentum adest; bellam mehercle, distinctionem! Famosa tandem in scholis adhuc fuit distinctio scotistica, quam formalem a parte rei communiter appellabant, ita tamen, ut, si Antonio Genuensi *Element. metaphys. part. I. n. 38.*, item Vernejo *Lib. 4. de re metaphys.* fides habeatur, nec ipsis distinctionis hujus adsertores eam intellexerint, aut dilucide saltem potuerint explicare. Unde dictas has distinctionis species, tam illam nempe rationis ratiocinantis, quam hanc scotisticam tricis adnumeramus.

*Similitudo quid? quid aequalitas?*

Identitati similitudo & aequalitas ceu species subordinantur. Quare expositis haec tenus, quae de identitate & distinctione scitu necessaria videbantur, de similitudine pariter & aequalitate nunc agemus. Est autem similitudo convenientia duorum vel plurium in qualitate; ejusmodi convenientia

tia duorum vel plurium in quantitate aequalitas est.

## § 12.

*Quid qualitas? quid quantitas?*

Nemo sane non videt, mox datas similitudinis & aequalitatis definitiones sat claras esse non posse, donec mente comprehendatur, quod non minibus illis, qualitatis nempe & quantitatis denotatur. Unde, licet fateamur, difficiles esse accuratas hujuscemodi definitiones, nihil tamen intermittemus, quo significata vocum illarum clarius saltem innotescant: utemur autem hunc in finem quorundam definitionibus, qui qualitates esse ajunt determinationes seu notas rei internas illas, quae sine alio adsumto intelliguntur; quantitatem vero esse dicunt ejusmodi rei notam internam, quae sine alio adsumto dari quidem, non tamen intelligi potest. Res in exemplis patet. Cibus v. g. dicitur esse dulcis; hoc facile a quovis linguae perito intelligitur, quid sit: ut vero dulcedinis hujus determinetur gradus, ut intelligatur, quam dulcis sit; aliquid aliud necessario debet adsumi, ad quod cibus ille referatur, vel saccharum scilicet, vel mel &c. Dulcedo igitur qualitas, sed quantitas est dulcedinis gradus.

## § 13.

*Quantitas vel extensiva est, vel intensiva.*

Quantitas in extensivam & intensivam, terminis licet parum latinis, bene tamen dividitur.

Quantitatem extensivam multitudo quidem partium constituit, sed ita tamen, ut simul voluminis seu spatii, per quod ens extenditur, habenda sit ratio. Intensiva in gradibus consistit, & rebus quoque non extensis, simplicibus inesse potest, veluti inest amori aliisque mentis affectionibus.

## § 14.

*Similitudo major minorve esse potest, non item aequalitas.*

Quae in qualitatibus convenient, vel in pluribus tamen, vel in paucioribus solum possunt convenire. Similitudo igitur admittit gradus, *id est*, major minorve esse potest; aequalitas vero nec major esse potest neque minor: nam ubi vel minimus in quantitate duorum vel plurium sive excessus datur sive defectus, aequalitati continuo succedit inaequalitas.

## § 15.

*Similitudo vel absoluta est, vel respectiva solum.*

Cum porro, quae convenient in qualitatibus, vel convenient in omnibus, ita, ut plane nulla sit, qua discrepent, vel in aliquibus solum convenient, & aliis iterum ab invicem discriminentur; manifestum est, similitudinem in absolutam & respectivam bene dividii ita, ut, quae in qualitatibus omnino omnibus convenient, absolute, quae in aliquibus duntaxat convenient, respective seu imperfecte similia dicantur.

## § 16.

## § 16.

*Quid censendum de quaestione: an possibilia  
sint duo absolute similia?*

Non dari in rerum natura duo aequalia seu absolute similia (aequale enim hic idem est ac perfecte seu absolute simile) quam vetus tam inductione certum est adagium: etenim vel illa etiam, quae primo statim intuitu omnino videbantur esse similia, multum adhuc inter se dissimilia deprehenduntur, si inspiciantur adcuratius, vel microscopio ultro subjiciantur. Attamen de eo hic nobis quaestio non est: quae, si moveatur, non ad Metaphysicos spectat, sed Physicis relinqui debet indaganda: quod quaeritur, hoc est, num saltem possibilia sint duo perfecte seu absolute similia? Id quod negant alii, alii contra adfirmant adeo, ut multis adhuc sub judice lis esse videatur. Si tamen, quod verum est, eloqui fas sit; tota controversia, prout in scholis hactenus agitata fuit, lis est de nomine, utpote cum disputantes in notione absolute similium haud quaquam convenient; quam ut declinemus, diversum praeprimis sensum absolute similium exponere studebimus.

## § 17.

*Absolute similia quam diverso sensu dicantur?*

Absolute similia aliquando eo dicuntur sensu, quo illa jam *supra* §. 15. accepimus, quoque absolute similia sunt, quae in omnibus quidem, sed qualitatibus tamen convenient, adeo, ut nulla di-

screpent qualitate; atque haec propria est verborum (absolute similium) usurpatio. Sed & latius aliquando dictorum verborum extenditur significatio & absolute quoque similia dicuntur, quae in omnibus plane determinationibus, sive in five externis, tam in quantitate scilicet, quam qualitatibus, imo relationibus etiam convenienter adeo, ut nihil sit, quo talia ab invicem discriminentur: atque hoc potissimum sensu, qui tamen impro prius est, verba accepisse videntur, qui negant, possibilia esse duo perfecte seu absolute similia, aliis contra, nempe adfirmantibus, in sensu priori illa communiter sumentibus: ut patebit ex di cendis.

## § 18.

*Utriusque partis momenta expenduntur.*

Qui negant possibilia esse duo perfecte seu absolute similia, sequentibus utuntur argumentis: Duo, inquiunt, hoc ipso, quod duo sint, in aliquo saltem debent discriminari; alias non duo, sed unum idemque erunt. Porro nec duo etiam ceu duo, pergunt, a nobis cognoscuntur aliter, quam mediante aliquo, quod in iis notamus, discrimine. Ergo, concludunt, possibilia non sunt duo absolute similia. Quis non videt verba, *absolute similia*, in conclusione hac, ut legitima sit & vera, latius & in sensu solum improprio esse accipienda; secus enim plane sublesta foret & falsa; quia, quae in qualitatibus quidem etiam omnibus convenient, discrepare tamen adhuc possunt quantitate &c. Qui adfimant ita plerumque argumentantur: Duo, ajunt, etiam per fe-

fekte seu absolute similia, hoc ipso, quod duo sunt, inter se jam differunt, differunt enim numero. Nihil igitur impedit, quo minus duo absolute possint esse similia. In qua argumentatione voces numero differre, si tamen aliquid significant, & non sunt mente cassae, aliud significare non possunt, quam quod perfecte licet similia, seu in qualitatibus omnino convenientia, vel quantitate tamen, vel loco etiam aut tempore, vel alia quacunque demum nota externa saltem differant; & sic verbis non re dissentiant ab iis, qui negant: cetera quoque argumenta, quae ad stabilendam sententiam quique suam producunt, ea praesertim, quae ex perfectionibus divinis, omnipotentia v. g. &c. petuntur, laborant vitio vel petiti principii vel elenchi ignorati.

Nota. Quaestionem hanc vel ideo longius prosequendam esse duximus, quod inde depender veritas principii, ut vocant, *identitatis indiscernibilium*, quod generalissimis non pauci adnumerant.

## C A P U T XI.

### DE COMPOSITIO ET SIMPLICI. UBI DE TOTO PRIUS ET PARTIBUS.

§ I.

*Quid totum? quid partes?*

**S**i plura simul unum aliquid constituunt; unum, quod constituitur, *totum*, plura

D 4

au-

autem, quae simul id constituunt, *partes vocantur.*

## § 2.

*Axiomata de toto & partibus.*

Unde distin<sup>t</sup>e nunc intelligis per vulgata apud omnes axiomata de toto & partibus nempe, quod omne totum aequale sit omnibus suis partibus simul sumtis; & vicissim omnes totius cuiusdem partes simul sumtae aequales sint toti: totum enim & omnes ejus partes simul sumtae idem sunt. 2. Quod, quidquid continetur in parte, contineatur etiam in toto. 3. Quod totum majus sit seu plus contineat qualibet sua parte; pars vero quaelibet totius toto sit minor. Unde 4 quod toto minus sit, quidquid aequale est parti totius &c.

## § 3.

*Totum vel physicum est vel metaphysicum vel logicum.*

Totum pro diversitate partium, ex quibus constituitur, vel physicum est, vel metaphysicum, vel logicum. Totum physicum est, quod constat partibus realiter seu re ipsa distinctis: veluti constat homo corpore & anima, & corpus rursum ex carne, ossibus &c. componitur. Totum metaphysicum est, quod ex partibus formaliter solum seu per mentem distinctis constituitur, ut constituitur v. g. species ex genere & differentia. Totum denique logicum est, quod partes habet sub

sub se, logicas scilicet seu inferiora; quemadmodum sub genere continentur species, & species sub se continet individua.

*Corollarium.* Totum igitur physicum reale seu reipsa totum est; tota vero sive metaphysicum sive logicum, nostro solum concipiendi modo tota sunt.

### § 4.

*Compositum quid? quid simplex?*

Quamvis compositum aliquando dicatur, quidquid ex pluribus, sive reipsa, sive nostro solum concipiendi modo constituitur: quo sensu compositum idem est ac totum, & non minus quam illud in physicum, metaphysicum & logicum dividitur; non est tamen ista propria hujus vocis usuratio, neque ea, in qua illam hic accipimus: compositum enim hic spectamus, prout simplici opponitur, quo sensu acceptum definimus, ens constans partibus realiter distinctis; ens contra partibus realiter distinctis haud constans, simplex est. Sic v. g. corpus hominis ens compositum, sed simplex est anima.

### § 5.

*Data compositi definitio ab objectione vindicatur.*

Erunt forte, qui in data compositi definitione desiderari aliquid arguant; eoquod nulla nexus in ea fiat mentio, sine quo tamen compositum nec

D 5

ef-

esse possit, neque cogitari. Verum quam vana sit objectio ista, facile perspicitur: nonne enim partes in composito certa quadam ratione copulari debere, satis intelligitur ex eo, quod compositum unum aliquid seu ens (non enim ens esse potest, quin simul unum sit, *vid. supra Cap. III. §. 2.*) esse dicitur constans partibus realiter distinctis: etenim profecto partes realiter distinctae re ipsa plura sunt, nec, nisi uniantur, unquam unum aliquid possunt constituere.

## § 6.

*In compositis in specie specialis habenda est ratio nexus partium.*

Etiamsi vero in definitione compositi universale partium in eo nexus speciatim exprimere necesse non sit, eoque aliunde satis jam intelligatur, ut ostensum est §. *praeced.*; in compositis tamen in specie specialis habenda est ratio nexus partium, quoniam inde, quod partes etiam eadem aliter aliterque conjungantur, diversissima oriri possunt composita; id quod facile probari potest experientia instituta in corporibus: adeoque essentiam compositi in specie unus ille pervidere non abs re dicitur, qui & partes ejus singulas, & modum, quo coniunctae sunt, habet perspecta.

## § 7.

*Partium in compositio numerus infinitus esse nequit.*

Numerum quaecunque infinitum esse non posse, manifestum est inde, quod numerus quis-

cun-

cunque augeri possit, vel etiam bis sumi, ac proinde numero quocunque majus dari possit & eidem etiam aequale, quod utrumque repugnat infinito *vid. supra Cap. 7. §. 2. Coroll. 4.* Unde nec partium in compositio numerus infinitus esse potest.

## § 8.

*Ex dictis consequentia.*

Inde fluunt consequentia:

1. Ex partibus finitis effici nequit infinitum: ut enim ex partibus finitis infinitum efficeretur, partium saltem numerus deberet esse infinitus, quod impossibile est. *§. praeced.*

2. Cumque partes compositi infinitas esse repugnet: repugnat enim infinito dari majus *cit. Supra coroll.*, sed partibus compositi seorsim summis seu qualibet compositi parte majus datur, nempe compositum, *vid. supra b. Cap. §. 2. Axiom. 3.*; manifestum est & evidens, infinitum ex partibus nullatenus componi posse.

3. Infinitum igitur nequit esse compositum, sed simplex sit necesse est.

4. Unde porro liquet, compositum quodlibet esse finitum.

5. Cumque, quod finitum est, sit etiam contingens, *Cap. VII. §. 2. Coroll. 2.*; haud ob-

scu-



scure intelligitur, omne compositum esse contingens &c.

### § 9.

*An a compositis ad simplicia bene concludatur.*

Cum partium in composito numerus infinitus esse non possit §. 7. *buj. Cap.*; in resolutione compositorum omnino videtur perveniri debere ad partes, quae partibus ultro non constent, quaeque proinde simplices sint §. *praeced. 4.* (elementares vocantur seu primae, ex quibus compositum coalescit). Unde evidens esse videtur, ex eo, quod dentur composita, legitime inferri, quod dentur etiam simplicia; seu, quod idem est, a compositis ad simplicia bene concludi. Atamen, cum contradictionem pariter involvere videatur, quod ex simplicibus inextensis (simplicia enim jam esse extensa omnino repugnat, ut suo loco ostendetur) compositum, saltem quatenus extensum est, oriatur, quemadmodum id pariter videbimus infra; suspendendum interim judicium est. *Prooem. Metaph. §. XII.*

### § 10.

*Creari quid? quid annihilari?*

Restat, ut de ortu & interitu entis seu compositi seu simplicis aliquid dicamus. Oriri autem dicitur ens, cum incipit existere: &, cum existere definit, dicitur interire. Porro, quod oritur, vel oritur ita, ut quaedam eorum, quae in eo reperiuntur, jam prius existant, vel ita, ut nihil

hil eorum prius extet; quodsi posterius hoc fuerit, de nihilo oriri, seu creari ens dicitur. Eodem etiam modo, quod interit, vel interit ita, ut post ejus interitum illius adhuc aliquid superstet, vel ita, ut post ejus interitum nihil plane illius superstes maneat; quod ultimum si sit, ens abire in nihilum seu annihilari dicitur.

## § 11.

*Compositum oriri potest, quin producatur de nihilo, & interire etiam potest, quin annibiletur.*

Compositum ex partibus realiter distinctis, contingenter inter se connexis coalescit: cum enim compositum contingens sit, §. praeced. 8. Coroll. 5. partes compositi nonnisi contingenter possunt esse coniunctae; fieri igitur potest, ut partes, quae simul coniunctae compositum constituant, aut antea extiterint, aut postea existant disiunctae. Compositum itaque oriri potest, quin de nihilo producatur, &, quin in nihilum abeat, potest interire.

## § 12.

*Ens simplex nec oriri potest nisi de nihilo seu per creationem, nec nisi per annihilationem potest interire.*

Ens simplex haud constat partibus, realiter saltem distinctis. Unde, si oriatur, illud ita oriri necesse est, ut nihil ejus, quod in eo reperitur, prius extiterit, seu, quod idem est, illud de nihilo produci sive creari oportet, vid. supra §. 10.

Ens

Ens igitur simplex imprimis oriri nequit nisi de nihilo seu per creationem. Porro nec interire etiam potest ens simplex ita, ut quidpiam illius post ejus interitum superstes maneat. Igitur nec interire potest ens simplex nisi per annihilationem.

*Nota!* Ens simplex oriri non posse nisi de nihilo seu per creationem, quandoque probant argumento, ut sequitur: Ens simplex, ajunt, oriri nequit ex alio quocunque ente sive composite sive simplici; id quod per partes fusius probare pergunt: indeque concludunt, de nihilo illud oriri debere. Quam argumentationem legitimam quidem, at sine necessitate tamen profusa esse liquet.

### § 13.

*Annihilation quo modo fiat? an actione quadam positiva? an sola subtractione actionis?*

Circa annihilationem quaeri adhuc solet, an actione quadam positiva? an sola subtractione seu denegatione actionis fiat? quae quaestio soluta difficultis non est, dum modo sequentia hic prae-notentur:

1. Certum est, annihilari non posse nisi entia contingentia: ens enim necessarium, ut pote cui repugnat non esse *Cap. 6. §. 2.*, annihilari non potest.

2. Contingentia non minus contingentia sunt pro singulis existentiae momentis, ac erant pro

pro primo existentiae momento, adeoque singulis existentiae momentis aequa parum existere possunt sine ratione sufficiente, ac sine tali existere poterant primo existentiae momento; neque, quod existant primo momento, esse potest ratio, ut existant etiam secundo, tertio quarto & caeteris existentiae momentis: sequeatur enim alias, ens contingens, si semel existat, exinde existere necessario, nec unquam posse non existere.

3. Contingentia igitur, etiam si jam existunt, existere desinunt, ut primum deficit ratio illorum existentiae; qualis ratio, sicuti pro primo existentiae momento voluntas Dei est de nihilo eadem producens, ita nec pro reliquis alia esse potest, quam haec eadem omnipotentis Dei voluntas. Unde intelligere est, cur & quo jure contingentium conservatio continua eorum reproduc<sup>tio</sup> a philosophis dicatur.

Manifestum est igitur ad annihilationem, si fiat, non actione quadam positiva, sed sola subtractione actionis, conservationis scilicet, quae continua eorum reproduc<sup>tio</sup> est n. praeced. 4., opus esse.

## C A P U T XII.

DE EXTENSO. UBI DE LOCO SIMUL,  
SPATIO, &c.

---

§ 1.

*Extensem quid?*

**C**ompositum, cuius partes extra se positae sunt, extensem est. Unde sequitur, quod, quidquid de composito adserum est cap. praeced. §§. 8. &c., de extenso pariter obtineat.

§ 2.

*Extra se ponи quid sit?*

Nequid in definitione modo data extensi obscurum relinquamus; exponamus oportet, quid sit extra se ponи; ponuntur autem extra se illa, quae sibi coexistunt ita, ut unum eorum non sit ibi, ubi est aliud.

§ 3.

*Quid locus?*

Atque illud, quod nominibus istis *ibi* & *ubi* denotatur, id ipsum est, quod locum adpellamus; neque is aliud quid est, quam certa unius existentis ad alia sibi coexistentia relatio.

§ 4.

## § 4.

*Locus male dividitur in absolutum & relativum.*

Locus igitur omnis relativus est. Neque proinde sustineri potest divisio loci in absolutum & relativum. Profecto idea loci absoluti non minus commentitia est & chymerica, quam illa spatii, qua spatum concipitur ceu aliquid a rebus diversum, & re ipsa existens, etiam si nullae res existant.

## § 5.

*Quibusnam entibus competere possit locus ? quaedam difficultas.*

Locus omnis relativus est §. 4. seu potius, locus est certa unius existentis ad alia sibi coexistencia relatio §. 3., quae relatio communi Metaphysicorum consensu in eo consistit, quod unum ad dextrum, ad latus autem sinistrum aliud &c. eidem coexistat. Unde manifestum est porro, locum hoc sensu non competere nisi entibus, quae habent latera. Inde oritur difficultas, de qua jam supra Cap. praeced. §. 9., quo scilicet modo ex elementis simplicibus extensem possit coalescere.

## § 6.

*Quam parum haec faveant materialistis recentioribus?*

Sunt, & praesertim nostro hoc aevo, qui hisce abutantur, inferentes, existere igitur non pos-

E

se,

se, quidquid materiale non est. Verum sciant animales isti, nihilque, quod sensibus haud percipitur, mente comprehendentes, homines dicam? an probra humanitatis? evidentem non esse veritatem adserti, quod, quidquid existit, locum habere debeat: quem enim locum habere dicent Deum seu ens infinitum? nisi tamen tanta sit eorum prætervitas, ut & hunc existere inficias eant. Caeterum, qui vel spiritus etiam, seu entia quaecunque simplicia locum habere contendunt, aliam saltem & a vulgata alienam, neque ad nostra usque tempora notam loci ideam adstruant necesse est.

## § 7.

*Quod locus sit mutabilis.*

Quandoquidem vero locus aliud non sit, quam certa existentis (contingentis certe §. 5.) ad alia sibi coexistentia relatio §§. *praeced.* 3. & 5.; intelligitur, locum non minus, ac existentiam, contingentium scilicet, esse mutabilem.

## § 8.

*Spatium quid?*

Locorum multitudo spatium est. Sive spatium res ipsae cum discrimine aliquo locali, certo nimirum ordine sibi coexistentes constituunt.

## § 9.

*Spatium in abstracto quid?*

Spatium, quod modo descripsimus §. *praeced.*, reale est; possumus tamen spatium etiam in abstracto-

stracto considerare. Abstrahere scilicet possumus in consideratione spatii, quaenam praecise sint illae res sibi coexistentes; imo vero res etiam non existentes considerari tamen queunt, prout certo quodam ordine, cum discrimine aliquo locali sibi possunt coexistere. Spatium, hoc modo consideratum, spatium in abstracto dici poterit.

## § 10.

*Quo sensu spatium sine fine dividuum dicatur?  
Commenta quorundam recentiorum de spatio.*

De spatio in abstracto considerato accipi debet, quod dicitur, nempe quod spatium sit sine fine dividuum; id quod verum est, si ita intelligatur, quod plures semper pluresque sine fine res cum discrimine quodam locali possint sibi coexistere, seu, quod res quaecunque existentes haud quam omnes sint, quae cum discrimine aliquo locali sibi coexistere queunt. Quo simul evincitur, spatium quocunque reale infinitum esse non posse, utpote quo semper concipi, dari que potest majus. De reliquo sustineri plane nequeunt recentiorum quorundam Metaphysicorum de spatio in abstracto commenta, qui in spatio isto imaginario (etenim sic vocant spatium illud in abstracto consideratum) mere ideali proprietates concipiunt positivas, reales, veluti, ut propriis cuiusdam verbis utar, *continuitatem cum divisibilitate in infinitum, interminatam extensionem seu infinitatem, aeternitatem cum necessitate, & denique immobilitatem.*

## § 11.

*Spatium imaginarium seu commentitium.*

Non defuere tandem, & etiam nunc sunt, qui spatium sibi fingant aliquod reale, a rebus diversum, & reipsa existens nulla re existente, illudque esse dicant realem quandam capacitatem, continuam, aeternam, immensam &c. Attamen absurdam esse istorum opinionem facile patet: etenim id genus realis capacitas nec substantia esse potest, nec accidens, & alia adhuc repugnantia involvit; quid, quod ejusmodi proprietatibus deberet esse praedita, quae non nisi Deo possunt convenire, ut est existentia necessaria, aeterna, immensitas &c.; quemadmodum, quod miror, arguunt ipsi etiam Boscochianoi, in spatio suo imaginario consimiles proprietates soliti concipere, vid. §. *praeced.*

## § 12.

*Magnitudo quid? quomodo a nobis cognoscatur?*

Per partium in extenso multitudinem, habita simul ratione spatii, seu differentiae localis partium, praeferit extremarum, habetur magnitudo. Relativa autem est nostra magnitudinis cognitio; neque qualis reipsa est, *id est*, absoluta magnitudo a nobis cognoscitur. Et forsitan haud abs re foret dicere, magnitudinem, saltem quatenus in ea spectantur differentiae partium locales, omnem indeterminatam esse, neque proinde, proprie loquen-

quendo, absolutam dari magnitudinem, *consu-*  
*latur supra §. 10.*

## § 13.


*Ex dictis consectaria.*

Fieri proinde posset, ut variata rerum magnitudine, mutationem in rebus factam esse haud quaquam adverteremus; si nempe cum rebus extra nos positis eadem proportione corpora simul & organa nostra mutarentur, vel augerentur scilicet, vel minuerentur ita, ut eadem rerum ad se, & ad corpus nostrum & organa maneret relatio. Porro naturalis oculorum constitutio in diversis hominibus diversa esse potest, adeo, ut eadem omnino corpora uni majora, minora alteri adpareant; quemadmodum revera constat experientia, idem objectum nunc quidem majus, nunc minus adparere, prout illud per diversum medium adspicimus; sed illud utrum ita se habeat, deprehendere non possumus.

## § 14.

*Limitatum esse quid? quid limes?*

De limitato quidem seu finito jam supra *Cap. VII.* egimus, quin in notionem tamen limitum adhuc inquisierimus, utpote cum ibi nec opus esset, nec satis commode fieri posse videretur; hic autem, ubi de figura mox dicendum erit, notione illa carere amplius non possumus, eaque, quae ad notionem hanc capiendam faciunt, passim jam praecessere; eam igitur exponere nunc con-



venit. Limitatum itaque in genere dicitur esse illud, in quo deficiunt realitates in eo ultro possibles. Limes autem est id, ultra quod nihil est in re ad eam pertinens. Sic ubi partes v. g. libri desinunt, ubique nihil est amplius ad librum pertinens, limites adsunt libri.

### § 15.

*Limites sunt vel extensionis vel intensionis.*

Limites autem alii sunt extensionis, intensio-  
nis alii, *consultantur, quae de quantitate diximus*  
*supra Cap. X. §. 13.* Limites extensionis sunt,  
ultra quos haud porrigitur partes extensi; in-  
tensionis vero limes est, quo qualitatis cuiusdam  
definitur intensio, seu gradus terminatur.

### § 16.

*Quod omne extensum limitatum sit.*

Finitum esse sive limitatum, quidquid contin-  
gens est, *supra Cap. VIII. §. 2. n. 1.* ostensum  
fuit. Porro, quod extensum est, compositum  
sit necesse est, *per definit. extensi b. Cap. §. 1.* &  
compositum quodlibet contingens est, *Cap. praec-  
ed. § 8. n. 5.* Manifestum est igitur, omne ex-  
tensum esse limitatum. Idipsum alia evincitur de-  
monstratio ne sequenti: Partium in composito  
numerus infinitus esse nequit, *Cap. praeced. §. 7.*  
In composito igitur quocunque realitates seu par-  
tes deficiunt in eo ultro possibles, seu limitatum  
est compositum quocunque, *vid. definit. limitati*  
*supra §. 14.* sed, quod extensum est, composi-  
tum

tum sit necesse, ut superius jam dictum fuit. Omne igitur extensum limitatum esse constat.

## § 17.

*Figura quid? quomodo differat a forma?*

Ex certo limitum in extenso situ, relatione figura resultat. A forma differt, quod forma per nexus partium interiore habeatur.

*Coroll.* Non igitur figuram determinare possumus illius, cuius limites haud percipimus, sive nimis illud magnum sit & extensum, sive parvum nimis & exile.

## § 18.

*Quod figura sit mutabilis.*

Cum locus unverse sit mutabilis, *supra* §. 7. & locum quoque partium in extenso mutabilem esse constat; mutato autem partium praesertim extremarum loco, limitum in extenso situm, ac proinde figuram pariter mutari necesse est, *per definit figurae* §. *praeced.* Unde liquet, mutabilem esse figuram.

## § 19.

*Extensio virtualis. Quid de ea nobis videatur.*

Nequid tandem circa extensum relinquatur intactum; advertendum est, aliquos extensionem

quandam admittere, quam virtualem vocant, quamque elementis etiam, utut simplicibus & individuis, adtribuunt, eamque in eo ajunt consistere, quod unumquodque eorum per dividuum quoddam spatium diffusum sit ita, ut alterum altero majus etiam spatium occupet, possintque ubi est unum, illo remoto ibi duo vel etiam plura juxta se posita consistere. Sed fateor, omnia hic contradictionibus & absurditatibus plena mihi videri: nam, ut caetera taceam, admissa hac extensione virtuali omnino sequi videtur, eandem simplicem & individuam elementi substantiam simul esse dividuam, & partibus constare.

---

## C A P U T XIII. DE ENTE COGITANTE.

---

§ 1.

*Cogitare quid?*

**P**lura quidem involvit *cogitare*, veluti percipere, judicare, ratiocinari, & quae his denuo notionibus comprehenduntur; at hoc tamen non obstante *cogitare* communiter definiunt, quod sit sui rerumque extra se, seu a se distinctarum habere conscientiam.

§ 2.

## § 2.

*Conscientia quotuplex?*

Conscientiam, de qua hic loquimur, logi-  
cam vocant, ad eam a morali discernendam, de  
qua in philosophia practica sive morali dicetur.  
Est autem conscientia haec, logica, in primis  
duplex, vel directa scilicet vel reflexa. Consci-  
entia directa est, si alicujus concii quidem nobis  
sumus, quintamen & hujus iterum conscientiae no-  
bis sumus concii. Quodsi vero alicujus nobis con-  
scios nos esse ultro advertamus, reflexa est.  
Conscientia deinde in distinctam adhuc & confu-  
sam dividitur, vid. Log. de ideis Cap. IV. §.  
II.

## § 3.

*In quali conscientia consistat cogitare?*

Quod *cogitare* possit esse sine conscientia re-  
flexa actuali, seu, quin cogitans actu & re ipsa  
sui, aut rerum extra se reflexe sibi sit conscientium,  
manifestum est inde, quod ens cogitans semper  
quidem cogiter (ens enim cogitans aequa parum  
esse potest sine cogitatione, quam extensum sine  
extensione) non tamen semper reflexe sibi sit  
conscientium sui & rerum extra se, quod experien-  
tia in nobis ceu cogitantibus instituta pater. Porro  
ad *cogitare* aliis sufficit conscientia qualiscunque, si-  
ve distincta, sive confusa solum; indeque *cogitare*  
dividunt in distinctum sive rationale, & confusa  
sum sive sensuale. Alii contra contendunt, *co-*  
*gitare* sine conscientia distincta esse non posse;

E 5

hi-

hique *cogitare* omne rationale esse ajunt; quorum sententiae & nos subscribimus persuasi, cogitans omnino pollere debere conscientia & distincta & reflexa, quin tamen necesse sit, illud sibi actu sui, rerumque extra se distincte semper & reflexe conscientium esse.

## § 4.

*Cogitare an velle includat?*

Sunt, quibus *velle cogitare* est. Seu in notione cognitionis comprehendendi & *velle* contendunt aliqui. Alii contra negant adserentes, aliud omnino esse *cogitare*, aliud *velle*, ita tamen, ut posterius, nimurum *velle*, prioris, *cogitare* scilicet, sequelam esse haud insufficientur; cum quibus & nos sentimus, dummodo sequelam esse dicant naturalem, necessariam: etenim repugnare videtur, quod ens sui rerumque extra se distincte sibi conscientium sit tamen indifferens, *id est*, non appetat unum, alterum aversetur: unum obtinere, conservare, promovere; minuere contra, vel a se plane amoliri aliud haud nitatur.

## § 5.

*Compositum cogitare nequit.*

Compositum non posse cogitare invicte demonstratur sequenti argumento: In composito praeter partes & certum partium illarum nexus nihil habetur, *vid. supra Cap. XI. §§. 4. 5. & 6.* Unde, si compositum cogitare posset, vel singulae

iae compositi partes seorsim, vel omnes simul sumtae & prout certo modo copulatae sunt, deberent posse cogitare. Sed non primum: hoc enim admisso non ipsum compositum, sed partes cogitarent compositi; quid quod compositum non unum cogitans, sed tot in composito forent cogitantia, quot illud partibus constaret; neque etiam alterum admitti potest: non enim per certum partium in composito nexum aliud quid sit, quam ut partes vel propius ad invicem accedant, vel longius ab invicem removeantur, atque sic alium ad se situm, relationem, vel ordinem accipiant. Quibus omnibus nil minus efficitur, quam cogitare. Argumentum istud fusius deducetur reperire est in *Phaedone Moysis Mendelssohni*, über die Unsterblichkeit der Seele, de Anno 68. zweytes Gespräch a pag. 143. item in libro, cui titulus, die Philosophie der Religion, Tom. secundo pag. 47. & sequentibus. Ubi meritissimus Author praemittit simul argumentum a conscientia identitatis propriae desumptum (quod clariss. Federus plane convincens esse ait) ita tamen illud adplicando, ut inde evincatur solum, cogitare non posse corpus, vid. loco jam citato pag.

43.

## § 6.

*Neque materia cogitare potest.*

Non equidem materiae nomine idem omnibus venit: alii namque per materiam corporeum aliquid ex pluribus jamjam substantiis adgregatum intelligunt; aliis contra materia sunt partes corporis, extensi elementares, ex plurimorum, saltem

tem recentiorum Metaphysicorum opinione simplices & inextensae. Sensus prior communior quidem, & vulgari loquendi usui, cui Philosophi etiam haec tenus passim se accommodarunt, conformior, sed non ideo tamen ad finiendas de nomine lites aptior est, praesertim in ea, quae post Lockium audacius movetur, quaestione: utrum non forte materia cogitare possit? non enim hic aequa de corpore, sive extenso, quam de partibus corporis sive extensi elementaribus quaeritur. Attamen materiam, sive hoc, sive illo sensu sumatur, cogitare non posse, ex dictis §. praeced. facile evincitur: materia namque, si in sensu priori illam acceperis, ens compositum est; sed ibi demonstratum est, compositum cogitare non posse. Si vero in sensu posteriori sumatur materia, ex ibidem dictis aequa facile constat, eam cogitare non posse: demonstravimus namque eodem §. praeced. partes compositi singulas seorsim sumtas cogitare non posse: & quid aliud sunt partes compositi, corporis, singulae seorsim sumtae, quam materia posteriori hoc sensu accepta?

## § 7.

*Ens cogitans necessario simplex, immateriale est.*

Cum igitur neque compositum §. 5., neque materia §. praeced. 6. cogitare possit; ens cogitans simplex, immateriale sit necesse est. Quod indirecte hic probavimus, directe demonstratur in libro jam laudato, die Philosophie der Religion, pag. 96.

Coroll.

*Coroll.* Ens cogitans igitur neque figuram habere potest, neque magnitudinem, neque aliquid eorum, quae ex illis consequuntur: sunt enim illa proprietates compositi sive extensi, *vid. Cap. praeced. §. 12. - 17.*

## § 8.

*Entia cogitantia an, & quomodo inter se differre queant?*

Quandoquidem vero ens cogitans neque figuram habere potest, neque magnitudinem, neque aliquid eorum, quae ex hisce amplius resultant, *vid. coroll. praeced.*; neque etiam ratione istorum inter se differre queunt entia cogitantia. Unde sequitur, illa nonnisi ratione virium seu facultatum, ratione scilicet perfectionis in cogitando differe posse; quod autem hoc modo different, probatu difficile non foret.

## CAPUT XIV. DE CORPORE ET SPIRITU.

## § 1.

*Cur & in quantum hic agatur de corpore & spiritu.*

**E**rit forte, qui redarguendum putet, quod de corpore & spiritu in Ontologia disputare statuet-

tuerimus contra, ac Metaphysici passim consuevere. Verum quemcunque demum ordinem servare consueverint alii; notionibus tamen generalissimis, quas in Ontologia exponendas esse diximus, *Metaph. Prooem.* §. VIII., ad censendas esse putem notiones illas corporis & spiritus: porro in Aetiologya mox plura occurrent, quae sine notionibus illis satis nequeant intelligi. Reetus igitur ordo requirit, ut notiones illae praemittantur, *consul. Log. Lib. 4. p. 2. Cap. 1. §. 6.* Differemus autem hic de corpore & spiritu, solas exponendo notiones, & conclusiones generalissimas inde deducendo.

## § 2.

*Corpus quid?*

A corporibus sensus nostros adfici, atque ex illis ceu partibus componi mundum hunc adspe-  
ctabilem, passim convenient; sed hoc non ob-  
stante circa notionem corporis determinandam  
multum adhuc dissentient, aliis plus, minus aliis  
in ea comprehendi opinantibus. Nobis corpus  
est extensem sensibile.

## § 3.

*Conjectaria ex data corporis definitione.*

Unde fluit, 1mo quod, quidquid sive de  
composito *Cap. XI.*, sive de extenso *Cap. XII.* de-  
monstratum fuit, de corpore pariter valeat. 2do  
Quod essentiale non sit corpori, quidquid neque  
ex

ex notione extensi, neque ex idea sensibilis deduci potest.

## § 4.

*Quid spiritus?*

Spiritus ens cogitans est. Quam quidem definitionem spiritus omnes facile admittunt. Attamen cum cogitare non omnibus idem sit, *vid. Cap. praeced. §§. 1. & 3.* per hoc, quod spiritus ens cogitans esse dicatur, nondum satis determinatur notio spiritus, nisi prius, quid cogitare sit, fixum ponatur, *vid. loc. mox citat.*

## § 5.

*Quam parum admitti possit divisio spiritus in spiritum superioris & inferioris ordinis in sensu qnorundam scholasticorum?*

Quibus cogitare est qualemcunque sui & rerum extra se conscientiam, sive distinctam, sive confusam solum habere, indeque cogitare dividunt in sensuale & rationale, *Cap. XIII. §. 3.*, ii spiritum, quem cum aliis ens cogitans esse dicunt, in spiritum superioris & inferioris ordinis exinde dividunt. At divisionem hanc, quam saltem ineptam esse haud difficile probatu foret, in nostro systemate admitti non posse, facile patet ex dictis; quamvis multum inter se differre posse spiritus haud insiciemur, quemadmodum a spiritu increato infinite differunt spiritus quicunque creati, ut suo loco ostenderetur.

## § 6.

## § 6.

*Qomodo inter se differre possint spiritus?*

Spiritus quidem nec figura nec magnitudine inter se differre posse, manifestum est ex notione spiritus: quia nimirum spiritus ens cogitans, ac proinde simplex est, & immateriale, *Cap. praeced.* §. 7.; differre tamen possunt ratione perfecti nisi gradum in cognoscendo, vel ratione virium in operando, *consul. Metaphys. claris. Federi* §. 52. de Anno 71. von möglichen Arten denkender Substanzen.

## C A P U T X V.

DE SUCCESSIONE, DURATIONE, TEMPORE ET AETERNITATE.

## § 1.

*Succedere quid? in successivis bene distinguuntur, praesens, praeteritum & futurum.*

**S**uccedere sibi dicuntur, quorum uno desinente aliud existere incipit; quae sibi succedunt, successiva vocantur. Quandoquidem vero, quoties sibi plura quaedam succedunt, aliud quidem jam praeterisse, praesens aliud, & aliud tandem futurum esse, oporteat; in successivis bene distinguuntur praesens, praeteritum & futurum.

## § 2.

## § 2.

*Duratio quid? quid existentia momentanea?*


Siquid interim, dum aliqua sibi aut reipsa succedunt, aut succedere saltem possunt, existentiam continuet, durare dicitur. Durationem igitur intelligis esse continuationem existentiae, dum interim aliqua sibi aut reipsa succedunt, aut succedere saltem possunt. Siquid contra existeret ita, ut interim, dum illud existit, neque aliqua sibi succedant, neque succedere etiam valeant; momentanea istud gaudere existentia diceretur.

## § 3.

*Tempus quid?*

De tempore S. Augustinus *Lib. II. Confess.* sic loquitur: "quid, inquit, familiarius & notius in loquendo commemoramus, quam tempus? & intelligimus utique, cum id loquimur; " intelligimus etiam, cum alio loquente id audiimus. Quid ergo est tempus? si nemo ex me quaerat, scio, si quaerenti explicare velim, ne scio."

Attamen ex contextu patet, S. Augustino tempus fuisse aliquid ex praeterito, praesenti & futuro compositum: etenim sic pergit ibidem: "fiderenter tamen dico, scire me, quod, si nihil praeterierit, non esset praeteritum tempus; &, si nihil adveniret, non esset futurum tempus; &, si nihil esset, non esset praesens tempus." Cum qua doctrina S. Augustini de tempore apprime convenit definitio temporis, quam post Wolffium passim adstruunt Metaphysici, adseren-



tes, tempus esse ordinem sibi succendentium, seu  
verius, tempus res ipsas esse certo ordine sibi suc-  
cedentes.

#### § 4. *Temporis divisio.*

Tempus cum spatio summam habere analogiam ex notionibus temporis mox §. praeced. & spatii supra Cap. VII. §. 8. expositis liquet. Unde etiam tempus aequa ac spatiu in reale, quale modo descripsimus §. praeced., abstractum, & imaginarium seu commentitium dividì solet; consulantur, quae de spatio in abstracto & imaginario seu commentitio dicta sunt supra jam cit. Cap. XII. §§. 9. - 11.

#### § 5.

*Omne tempus quantum est seu durationem aliquam habet, attamen finitam, ac proinde mensurabilem.*

Tempus igitur omne, cum praeteritum simul, praesens & futurum complectatur, sive in tempore aliqua sibi reipsa succedant, seu potius, per aliqua sibi reipsa succendentia tempus constituantur §. praeced. 3., quantum est, seu durationem aliquam habet, finitam tamen; utpote cum res, quae sibi invicem succedunt, numero infinitae esse non possint. Videantur, quae de numero partium in composito dicta sunt supra Cap. XI. §. 7. Cumque quantitas quaecunque finita ad aliam quantitatem pariter finitam referri valeat, certamque habeat ad eam rationem: quantitatem vero taliter ad aliam, quam pro unitate interim admittimus, eo fine referendo, ut, quoties in illa contineatur, seu qualem universe ad illam habeat rationem, intelli-

ga-

gamus, mensurare eam dicamur; manifestum est, durationem quamcunque temporaneam esse mensurabilem.

## § 6.

*Pro temporis mensura quaenam communiter ad biberi soleant?*

DURATIONI TEMPORANEE CUICUNQUE MENSURANDAE PERACCOMMODUS EST MOTUS QUALISCUNQUE AEQUABILIS. HINC AD METIENDAS DURATIONES MINORES UTIMUR HORLOGIIS, IN QIBUS INDEX MOTU AEQUABILI PER CIRCULI PERIPHERIAM IN PARTES AEQUALES DIVISAM MOVETUR; PRO MENSURANDIS VERO DURATIONIBUS MAJORIBUS REVOLUTIONES SYDERUM, SOLIS PRAECIPUE, VEL DIURNAS, VEL ANNUAS ETIAM ADHIBEMUS, UTPOTE, QUAE AD SENSUM SALTEM SINGULAE AEQUALES SUNT.

## § 7.

*Ingens temporis divisibilitas.*

DURATIO TEMPORANEA QUAECUNQUE COGNITA SIVE SENSIBILIS DURATIONES ALIAS MINORES, PLURIMAS & PENNE INNUMERAS CONTINET; ID QUOD EX MOTU PLANETARUM & LUCIS RAPIDISSIMO LUCULENTER COMMONSTRATUR: OBSERVATIONIBUS ENIM ASTRONOMICIS CONSTAT, SPATIUM A MERCURIO INTRA TEMPUS UNIUS MINUTI SECUNDI, QUOD 60MA MINUTI PRIMI, HORAE AUTEM 3600MA PARS EST, PERCURSUM AEQUALE ESSE 23000 PEDIBUS. QUODSI NUNC SINGULAE PEDUM ISTORUM LINEAE IN MILLE PARTES DIVIDANTUR (QUAE DIVISIO NONDUM ADACQUAT EAM, QUAE HUMANA ARTE EST POSSIBILIS) SPATIUM, QUOD A MERCURIO INTRA MINUTUM SECUNDUM PERCURRITUR, 2300000000 EJUSMODI PARTES COMPLECTITUR. LUX AUTEM INTRA MINUTUM SECUNDUM ULTRA 38377 MILLIARIA GERMANICA PERCURRIT, QUO-

rum unumquodque 23628 pedes rhenanos continet. Unde patet, ingentem esse, ac plane stupendam temporis divisibilitatem, eosque turpiter hallucinari, qui simul illa fieri existimant, in quibus nulla successionum discrimina advertunt.

### § 8. *Aeternitas quid?*

Boetio aeternitas est interminabilis vitae tota simul & perfecta possessio: atque cum Boetio in notione aeternitatis plane convenient Metaphysici recentiores, aeternitatem definientes, quod sit duratio & initio & fine carens, duratio vere infinita.

### § 9. *Consecutaria ex definitione aeternitatis.*

Non igitur in aeternitate distingui possunt praeteritum, praesens & futurum: in aeterno enim, ait S. Augustinus loco jam citato supra §. 3., haud praeterit quidquam, sed totum est praesens. Nec consequenter locus esse potest successioni in aeternitate, eo nimis sensu, ut ex successivis aeternitas constitui dicatur; quamvis interim, dum aeternum durat, aliqua sibi succedere non repugnet. Aeternitas tandem, utpote infinita, duracionibus quibuscumque temporaneis, finitis adaequari, & ideo mensurari nequit.

### § 10. *Quid aevum? quid aeviternum?*

Duratio quae initium quidem habet, at nunquam habitura est finem, aevum dicitur; Unde aeviternum vocatur, quod initium quidem habuit existendi, sed finem nunquam est habiturum.

AETIO-



# AETIOLOGIA.

## C A P U T I.

### DE NEXU ENTIUN UNIVERSE.

---

§ 1.

*De quibus agatur in aetiologya?*



De principiis & causis agendum esse in aetiologya, vel solum nomen satis indicat: *aitia* enim graecum latine principium seu causa vertitur. Quia tamen principium & causa nexui subordinantur, & ea, quae de nexu praesertim causali sunt, adaequate saltem nequeunt intelligi, nisi, quae ad principium rationis pertinent, perspecta habeantur; in primis hic de nexu universè in hoc capite, de

F 3

prin-

principio autem rationis sufficientis in altero differere statutum est.

## § 2.

*Nexus quid?*

Connexa dicuntur, quorum uno posito etiam aliud poni necesse est, & quorum uno non posito neque poni potest aliud. Unde intelligis, nexus esse rationem entium, vi cuius uno posito etiam aliud poni necesse est. Ejusmodi ratio datur v.g. totum inter & ejus partes, causam & effectum.

## § 3.

*Nexus divisio.*

Duplex communiter nexus distinguitur, realis scilicet & idealis. Realis est, qui datur inter res; qui inter rerum solum ideas habetur, idealis dicitur. Sic v. g. inter partes totius cuiusdam physici realis, inter genus autem & ejus species idealis solum nexus intercedit. Nexus realis varie adhuc subdivitur; inter ejus tamen species eminent causalis, de quo mox pluribus dicetur.

## § 4.

*Divisio connexorum.*

Connexorum quoque alterum cum alio a priori, a posteriori alterum connexum esse dicitur, & alia tandem a concomitante inter se conexa sunt. Connexum a priori cum altero dicitur, quod alterius in se continet rationem; illud

au-

autem, cuius ratio in altero continetur, a posteriori cum illo dicitur connexum. A concomitante demum inter se connexa sunt, quae unam eandemque rationem habent in aliquo tertio. Sic v. g. sol nobis in signis vernalibus existens cum flore plantarum a priori, flos autem plantarum cum sole in signis vernalibus existente a posteriori, & tandem flos iste plantarum simul ac totius, si ita loqui fas sit, naturae restitutio a concomitante sunt connexa.

## § 5.

*Ab alio dependere quid?*

Ab alio dependere est rationem sui habere in alio ita, ut ratio haec in alterius libertate sit posita, seu ut penes ipsum stet esse vel non esse cum alio hac ratione connexum.

## § 6.

*Ex dictis consecaria.*

Unde intelligis 1 quod, licet mutuus sit nexus omnis, non tamen mutua sit omnis dependentia. 2 Quod quidem ab alio non continuo dependeat, quod cum alio a posteriori est connexum; 3 Quod contingentia tamen hoc ipso quod contingentia, & cum ente necessario a posteriori sint connexa, bene dicantur dependere ab ente necessario, quemadmodum id diximus supra Cap. VI. §. 8. 4 Tandem ex dictis liquet, omne dependens esse pariter contingens.

## F 4

## § 7.

## § 7.

*Quid ens absolutum? quid relativum.*

Ens, quod absque ullo nexu cum alio quo-cunque ente vel existit, vel existere saltem potest, absolutum est; entia vero, quae non nisi cum ne-xu cum alio quodam ente possunt existere, relati-va sunt. Ejusmodi entia, relativa nempe, esse entia quaecunque contingentia, ex dictis *hoc ca-pite & supra Ontolog. Cap. VI.* patet. Deum vero seu ens necessarium ens absolutum esse, suo loco ostenderetur.

## C A P U T II.

## DE PRINCIPIO RATIONIS SUFFICIENTIS.

## § 1.

*Ratio quid? quid rationatum?*

**R**ationem in genere definiunt, quod sit id, ex quo intelligitur, quod aliquid sit magis quam non sit, & quod potius hoc modo sit, quam alio quoconque. Illud autem, quod ex alio intelligitur esse, rationatum vocatur.

## § 2.

## § 2.

*Ratio est vel possibilitatis, vel existentiae.*

*Rationem existentiae subdividunt in rationem existentiae substantiarum & modorum.*

Quidquid est, vel reipsa existit, vel solum est possibile *vid. supra Ontolog. Cap. II.* Unde, quod est ratio alterius, vel est ratio illius, prout reipsa existit, vel prout solum est possibile. Manifestum est itaque, rationem bene dividi in rationem possibilitatis & existentiae. Rationem quoque existentiae communiter subdividunt in rationem existentiae substantiarum & modorum, quae divisio an & in quantum valeat, ex subsequentibus patebit.

## § 3.

*Ratio porro vel est totalis & adaequata,  
vel partialis & inadaequata.*

Ratio porro, sive possibilitatis, sive existentiae, in totalem seu adaequatam & partialem seu inadaequatam subdividitur. Ratio totalis sive adaequata est, qua sola cognita plene & adaequate intelligitur, quod aliquid sit, sive possibile solum, sive reipsa existens. Partialis seu inadaequata est, qua sola cognita nondum plene & adaequate intelligitur, quod aliquid sit. Ratio totalis, adaequata, sufficiens, partialis, inadaequata, insufficiens vocari solet.

## F 5

## § 4.

## § 4.

*Principium rationis sufficientis.*

*Quidquid est, debet habere rationem sufficientem.* Haec propositio, quam alii negative sic exprimunt: *nihil est sine ratione sufficiente, principium rationis sufficientis appellatur.*

## § 5.

*Quam inaniter de inventione hujus principii glorientur recentiores quidam?*

Quod quidem principium nec antiquissimis etiam Philosophis ignotum fuisse, patet ex per vulgato apud antiquos adagio: *nihil sine causa.* Unde manifestum est, quod inaniter quidam recentiores de inventione hujus principii glorientur; quamvis negari non possit, adcuratius demum expositum, & in usum, saepe tamen malum, deductum fuisse hoc principium a recentioribus Philosophis, praesertim Leibnizianis.

## § 6.

*Quid censendum sit de principio isto? an universale?*

Et certe principium istud, rationis sufficientis, adeo rationi consentaneum est, ut vel infantes etiam, rationis usu nondum pollentes, ad illud tamen jam primos aetus suos componere videantur; neque, quod Leibnizius, teste Wolffio, principium illud sine demonstratione ulla admiserit, aliam ob causam factum esse reor, quam quod persuasum sibi habuerit, illius veritatem per se, ut

scho-

scholae loquuntur, evidentem esse ac indemonstrabilem, eo videlicet sensu, quod nulla indigat demonstratione. Wolffius exinde, ejusque sectatores principium istud, & quidem ex principio contradictionis demonstrare conati sunt: attamen successu minus felici; argumentationes enim, quas hunc in finem congerunt, passim laborant vitio petiti principii, *vid. Daries. Philosophische Nebenfunden.* Ut autem candide de principio isto mentem nostram aperiamus, illi qui dem universalitatem denegari non posse, existimamus; attamen nimium & ultra sphaeram suam extendi nobis videtur, si in determinanda notione libertatis, sive humanae, sive vel maxime divinae, adplicatur atque ex eo decreta Dei libera aestimari posse, creditur. Putem sane, ubi de determinatione voluntatis libera est sermo, aequa parum locum esse quaestioni: quaenam illius sit ratio sufficiens? ac si de necessario sit sermo: cum ipsa libertas possit esse loco rationis sufficientis, omnemque plane excludere videatur rationem ulteriorem. At de libertate pluribus in Psychologia dicetur.

---

### C A P U T III.

#### DE PRINCIPIIS ET CAUSIS IN GENERE.

---

§ 1.

*An ḡ quale principium inter ḡ causam sit discriminē?*

**P**rincipium & causam plane confundunt aliqui. Alii contra principium inter & causam distingu-

stinguunt, illud inter utrumque, principium scilicet & causam, discriminem statuentes, quod causae correlatum, *id est*, effectus aliquid sit sibi insufficiens, imperfectum, a principio dependens, quales defectus haud quam semper involvit correlatum principii sive principiatum: quia principium etiam in divinis, in mysterio v. g. Ss. Trinitatis, ubi nullus dependentiae seu defectui cuicunque potest esse locus, solet adhiberi. Quam quidem differentiam principium inter & causam cum illis admittimus; sed aliam adhuc, etiam intuitu contingentium, inter ea statuendam esse arbitramur; nempe quod causa solam passim existentiam, principium vero tam existentiam quam possibilitatem spectet; sicque principium, etiam ratione contingentium, latius pateat causa. Id quod ex notionibus max exponendis uberius patebit.

## § 2.

*Principium quid? quid causa?*

Principium dicitur, quidquid alicujus in se continet rationem, sive illud, cuius rationem continet, reipsa existat, sive solum sit possibile. Causa vero generatim sumta communius definitur, quod sit principium determinans aliquid sibi insufficiens ad existendum. Causa igitur ad existentiam passim restringitur, principium vero ad possibilitatem aequa ac existentiam extenditur; atque sic confirmatur, quod dictum est §. praeced.

## § 3.

## § 3.

*Utriusque, tam principii quam causae correlatum. Quomodo connectantur?*

Principii correlatum est principiatum; causae vero effectus vel etiam causatum. Connectuntur autem principium cum principiato & causa cum effectu a priori, effectus autem cum causa, & principiatum cum principio a posteriori, *Cap. praeced. I. §. 4.*

## § 4.

*Qualis prioritas desideretur in principio & causa?*

Quadruplicem communiter distinguunt prioritatem, temporis videlicet, naturae, ordinis & dignitatis. Attamen in principio & causa non desideratur absolute nisi prioritas ordinis, *id est*, ut principium prius concipiatur suo principiato; quamvis principium & causa non raro priora sint suis correlatis, principiato scilicet & effectui sive causato, non dignitate solum & natura, sed etiam tempore; nisi tamen principium & causa reduplicative, ut scholae loquuntur, seu praecise spectentur, in quantum principium reip' alicujus rationem continet, & causa aliquid determinat ad existendum insufficiens: sic enim considerata, principium & causa, suis correlatis tempore priora esse nequeunt, sed cum illis simul sunt ista.

## § 5.

## § 5.

*Principium & causa an, & quomodo a suis correlatis distinguantur?*

Principium etiam & causam a suis correlatis distingui, ex dictis *Ontolog. Cap. X.* manifestum est; non tamen necesse est, distinctionem illam, saltem quae principium inter & principiatum datur, semper realem esse adaequatam; principia enim possibilitatis interna nonnisi inadaequate distinguuntur a principiato, ut patebit ex dicendis. *consul., quae de distinctione dicta sunt cap. jam citat. X. Ontolog.*

## § 6.

*Principii divisio in principium, ut vocant, effendi & cognoscendi. Quid de illa censendum sit? de quibus principiis hic agatur?*

Principium in scholis dividi in principium, ut vocant, effendi, & in principium cognoscendi, jam supra meminimus *Ontolog. Cap. I. §. 2.* Quae divisio, licet terminis parum latinis reddatur, nec fundamento tamen caret nec utilitate: saepe enim, quod alterius seu possibilitatis, seu existentiae rationem continet, atque sic illius est principium effendi, ex altero illo primum cognoscitur, ac illius proinde principiatum est in cognoscendo. De principiis cognoscendi jam disseruimus supra *Cap. citato Ontolog.*; de principiis igitur effendi hic agendum restat. Atque de principiis posteriori hoc sensu acceptis intelligi debent, quae de principio in praecedentibus, maxime §. 2. dicta sunt.

## § 7.

## § 7.

*Principium vel liberum est, vel necessarium.*

*Item vel adaequatum vel inadaequatum solum.*

Principium (idem de causa obtinet) in liberum & necessarium, item in adaequatum & inadaequatum dividitur. Principium liberum est, in cuius potestate positum erat, seu a cuius electione pendebat esse vel non esse alterius principium. Necessarium est, a cuius voluntate haud penderet esse vel non esse alterius principium. Ejusmodi principium, necessarium scilicet, est Pater aeternus respectu Filii; liberum vero Deus est respectu creaturarum quarumcunque. Principium adaequatum est, quod sufficientem & adaequatam alicujus rationem continet. Quod rationem solum inadaequatam continet, inadaequatum est, vid. supra Cap. praeced. §. 3.

## § 8.

*Divisio causarum aristotelica.*

Aristotelici, & quotquot principium inter & causam haud discernunt, quatuor causarum genera communiter distinguunt, materialem scilicet, formalem, efficientem & finalem; binasque priores intrinsecas, extrinsecas posteriores adpellant. vid. P. Schaaſ Aetiolog. Cap. II. §. 3.

## § 9.

*Causa exemplaris platonica.*

Mox reccnsitis quatuor causarum generibus aristotelicorum quintam adjecere platonici, quam ex-

exemplarem vocant, eamque esse ajunt ideam five exemplar, ad quod respiciens artifex efficit id, quod animo habebat designatum. Ejusmodi exemplaria, praesertim quatenus in mente divina existunt, ideas archetypas vocare consueverant.

## § 10.

*Quam parum sustineri posse videatur isthaec causarum divisio?*

Attramen quam parum sustineri posse videatur isthaec causarum divisio, haud difficuler patebit exponenti, quae de causa dicta sunt supra §§. 1. & 2.; nempe, quod causa ex definitione a Philosophis passim recepta ad existentiam restringatur: materia autem & forma non existentiae sed possibilitatis solum rationem continent, quemadmodum constabit ex mox dicendis capite sequente.

## § 11.

*Totius hujus pertraditionis de principiis causis distributio.*

De principiis igitur & causis hoc ordine disputabimus, ut illa praemittamus, quae ad possibilitatem pertinent, eaque, quae illius rationem continent, principia vocabimus. Ac his exinde subiectemus ea, quae ad existentiam spectant, & quidquid illius rationem quandam continent, causam appellabimus. Quare de materia primum & forma cum principiis internis possibilitatis, deinde de causa efficiente & occasionalibus, & tandem de causa finali & exemplari differemus.

CA-

## C A P U T IV.

## DE MATERIA ET FORMA CEU PRINCIPIIS INTERNIS POSSIBILITATIS.

## § 1.

*Cur de principiis possibilitatis primum hic agatur?*

D e principiis & causis singillatim disserturi in sequentibus, a principiis possibilitatis vel ideo ordiendum esse duximus, quod ens quodlibet, non absolute necessarium, prius concipiatur ut possibile, quam ut existens: quod enim existit, possibile sit necesse est, quin tamen, quod possibile est, existere necesse sit, *vid. capita Ontolog. IV. & V.*


## § 2.

*Possibilitas interna & externa.*

Duplicem communiter distinguunt possibilitatem, internam scilicet & externam. Possibilitate interna gaudet, quidquid nullam in iis, ex quibus constituitur, repugnantiam involvit, seu quod a contradictione in semet est immune. Externa pollere dicitur, ad quod producendum datur ens vere sufficiens.

## G

## § 3.



## § 3.

*An, quidquid est possibile interne, sit etiam externe possibile?*

A Deo produci posse, quidquid nullam in semet involvit contradictionem, adeoque externa pollere possibilitate, quidquid interne est possibile, passim adfirmant Metaphysici, negantibus illud Leibnizianis, contendentibus, a Deo produci non posse nisi optimum, ac proinde multa interne quidem possibilia, externa tamen possibilitate destitui; quo adserto, ut sapientiam divinam praedicent, de libertate & omnipotencia detrahere vindentur.

## § 4.

*Nihil externe possibile, quod non etiam possibile interne.*

Neque tamen externe aliquid potest esse possibile, quod interne possibile non est: ad producendum enim contradictorium seu impossibile nulla sufficit potentia etiam infinita.

## § 5.

*Possibilitatis internae ratio.*

Quandoquidem vero per hoc demum intellegitur aliquid esse interne possibile, quod nullam in iis, ex quibus constituitur, repugnantiam involvat, seu quod a contradictione in semet immune sit, §. *praeced. 2.* & *Ontolog. cap. IV.*; illudque, ex quo intelligitur, cur aliquid sit, ejusdem

ra.

ratio esse dicatur, *cap. praeced. II. §. 1.*; rationem possibilis tatis internae esse liquet immunitatem a contradictione.

## § 6.

*Materia & forma principia interna possibilis tatis.*

Possibilitatis internae rationem esse immunitatem a contradictione mox ostensum est *§. praeced.* A contradictione autem immune est, in quo ea omnia, quae primo in illo concipiuntur, & ex quibus illud quodammodo constituitur, essentia lia scilicet, adeo inter se non pugnant, ut aptissime potius convenient. Porro, quae primo in ente quolibet concipiuntur, sunt unum quidem, quod in eo concipitur ceu determinabile, aliud autem, quod in eo concipitur ceu determinans, *Ontolog. cap. VIII. §. 3.* Quodsi nunc cum scholis loqui, ac prius materiam, formam posterius appellare lubeat, *jam citat. Cap. VIII. Ontolog. §. 4.*; materiam & formam continere rationem possibilis tatis, adeoque illius esse principia liquet: cumque ab ente, quod suo modo constituunt, realiter indistinctae sint materia & forma, easdem principia illius interna esse, certum est.

## § 7.

*Alicujus possibilitatem quisnam distinde perspiciat?*

Alicujus itaque possibilitatem is demum distincte perspicit, qui modum possibilis tatis, seu quo-

modo aliquid possibile sit, compertum habet; quem possibilitatis modum compertum non habet, nisi qui materiam simul & formam alicujus, seu ea potius omnia, ex quibus illud constituitur, &, quod plene ista inter se convenientia, novit.

## § 8.

*Quod non liceat alicujus possibilitatem continuo inficiari, eoque distincte cognita non sit.*

Neque tamen licet, imo vero rationi contrarium, adeoque temerarium est, alicujus possibilitem continuo inficiari ideo, quod distincte non perspicatur: multa enim existere, ac proinde possibilia esse, *Ontolog. Cap. V. §. 3. n. 4.*, certo scimus; quorum tamen possibilitermodum haud quaquam intelligimus: veluti quod anima cum corpore in homine conjuncta sit; quod illa mediante isto varias adquirat cognitiones; quodque ad nutrum animae corpus moveatur &c. Consulantur, quae de incomprehensibili dicta sunt *Ontolog. cap. IV. §§. 5. - 8.*

## § 9.

*Quaedam de possibilibus hic adhuc notanda.*

Caeterum de possibilibus hic adhuc notari merentur, quae de essentiis notata sunt supra *Ontolog. cap. IV. §§. 4. sequentibus*, quod possibilia scilicet considerari possint vel ut jam determinata, vel ut indeterminata adhuc. Possibilia determinata ab intellectu eadem cogitante omnino dependent; neque dari potest possibile determinatum,

nisi detur ens cogitans illud sibi repraesentans.  
Possibilia quaecunque a Deo ab aeterno cognita  
esse, suo loco ostendetur.

## C A P U T V.

## DE CAUSA EFFICIENTE.

## § 1.


*Fundamentum notionis causae efficientis.*

**Q**uod possibile est, non ideo continuo existit: seu ex eo, quod aliquid possibile sit, non intelligitur adhuc, quod illud etiam existat; imo vero possibile ad existentiam haud unquam perveniet, nisi ens potens illud producere potentiam hanc seu facultatem reipsa adhibeat, eique existentiam impertiatur. Id quod fundamentum est notionis causae praesertim efficientis, ut patebit ex dicendis.

## § 2.

*Causa efficiens quid?*

In definienda causa efficiente admodum variant authores, at verbis tamen magis, quam sensu: alii namque causam efficientem esse ajunt: *Principium activum existentiae. Principium aliquid sibi insufficiens ad existendum determinans*, alii. Nobis prae caeteris placet definitio causae efficientis,



tis, qua causa efficiens esse dicitur *principium actione sua continens rationem existentiae alterius*, quae pene convenit cum illa Tullii: *causa efficiens est, cuius actio est ratio, cur aliquid in rerum natura existat*; quaeque a recentioribus communiter nunc adoptatur.

### § 3.

#### *Quid actio?*

Definitio mox data causae efficientis plane foret adcurata, dum modo distincta esset notio actionis; sed, quod dolendum est, nimis illa confusa adhucdum est: id quod vel ex solo Metaphysicorum circa notionem hanc dissensi colligere est. Agere post Wolfium complures definunt, quod sit esse *rationem sufficientem mutationis status in se ipso*. Quam definitionem actionis ceu ex omni parte vitiosam graviter castigat P. Stattlerus; sed ejus loco aliam illa haud multo meliorem adstruit, dicens; *agere est esse rationem realitatis diversae*: etenim sic nihil adhuc minus exponitur, quam quid sit agere. Neque tandem notio satis distincta actionis suggeritur, si dicatur, *agere esse vim suam exerere*. Ut adeo cum nonnemine fateri cogamur, quid sit agere tam obscurum nobis esse, ut nihil magis. At illud tamen novimus, quod, ut aliquid possibile existentiam obtineat, actione entis cuiusdam opus sit, quodque actio illa ratio sit existentiae illius.

### § 4.

## § 4.

*Quaenam sint, quae existentiam nanciscantur?*

Quidquid est vel esse potest, vel substantia sit vel accidentis necesse est (relationes hic in computum venire nequeunt). Unde, quae existentiam nanciscuntur, ad duo genera seu classes, vel substantiarum scilicet vel accidentium omnino revocanda sunt.

## § 5.

*Ex dictis conseqtaria.*

Unde manifestum est & evidens, immo quod actio causae cuiuscunque efficientis esse debeat ratio existentiae vel substantiae vel accidentis; quodque proinde 2do ens aliquod quocunque, cuius actio esse nequit ratio existentiae vel substantiae, vel saltem accidentis, non possit esse causa efficiens.

## § 6.

*An creaturae sive contingentia esse queant causa alicujus efficiens? proponitur quaestio.*

His ita praecinctis ad controversiam devolvimus summa animorum contentionem in scholis haec tenus agitata; controvertitur nimis, an creaturae sive contingentia esse queant causa alicujus efficiens? an vero sola & unica causa efficiens effectuum quorumcunque Deus sit?

## § 7.

*Determinatur quaestio[n]is status.*

Creaturas esse non posse causam efficientem substantiae, passim consentiunt etiam illi, qui creatureas causas esse efficientes adseverant; eoquod substantias, si orientur, de nihilo produci, necesse sit: nullius autem creatureae actio sufficere possit ad aliquid de nihilo producendum. Totum igitur, de quo contenditur, hoc est: num creatureae saltem possint esse causae efficientes accidentium?

## § 8.

*Partis adfirmantis argumenta.*

Qui adfirmant, contingentia seu creatureas esse causas efficientes accidentium, ad experientiam passim configiunt. Videmus, ajunt, quod corpus in motu constitutum, si aliud contingat, quod modo quiescebat, moveat; quod artifex partes componendo opus perficiat; imo vero experimur sensu intimo, quod anima nostra moveat corpus nostrum, quodque anima haec nostra in semetipsa producat cognitiones, volitiones &c. quod posterius ex ipsa porro notione libertatis evinci contendunt.

## § 9.

*Argumenta partis negantis.*

Qui negant, creatureas esse posse causas efficientes, hisce potissimum utuntur argumentis: ac-

ci-

cidentia, impia  
& ipsa substantia  
negant, quin  
consentiant, o  
producere: l  
producere: l  
mantibus argu  
ribus prouid  
7. ergo nec  
terios, con  
momenta  
XI. §. 13.  
duci alter, s  
determinata  
terminato  
ut. So  
cidentia  
potissimum

Expendu

Q  
menta p  
facile dep  
nis ab ex  
fus, defi  
fensus ali  
fiuant in  
tionum  
objectu  
fendum

cidentia, inquiunt, a substantia realiter indistincta, & ipsa substantia sunt modificata, adeoque produci nequeunt, quin simul producatur substantia. Inde concludunt, quod, si ens aliquod substantiam producere nequeat, illud nec accidentia possit producere: sed creaturae, pergunt contra adfirmantes argumentari, vel vobis etiam consentientibus producere nequeunt substantiam, §. *praeced.* 7., ergo nec accidentia. Porro, prosequuntur ulterius, contingentia quaecunque singulis existentiae momentis a Deo produci debent, *Ontolog. Cap. XI.* §. 13. n. 3., singulis autem momentis produci aliter, quam ut individua, *id est*, omnimode determinata non possunt; ergo cum omnibus determinationibus seu accidentibus a Deo producuntur. Sola igitur & unica causa efficiens etiam accidentium Deus est; nec consequenter creaturae possunt esse causa ullius efficiens.

## § 10.

*Expenduntur partis utriusque argumenta, & inter se conferuntur.*

Qui voluerit animo a praejudiciis libero argumenta partis utriusque controvertentis expendere, facile deprehendet, argumentum partis adfirmantis ab experientia sensuum externorum, v. g. visus, desumptum plane nullum esse: non enim per sensus aliud nobis innotescit, quam quod certae fiant in rebus mutationes; quaenam vero mutationumistarum sit causa efficiens, non sensuum objectum, sed rationis est inquirere; idem censendum de motibus, qui ad nutum animae fiunt

G 5

in

in corpore. Ponderosius tamen, omnemque pen-  
re vim argumentorum partis negantis, quae pro  
convincientibus alias haberi possent, ratione  
actuum voluntatis immanentium (ut vocant)  
enervans nobis videtur argumentum, a sensu inti-  
mo, & a notione libertatis pro iisdem actibus vo-  
luntatis immanentibus petitum. Ex his nunc ju-  
dicari poterit de valore hypotheseos causarum  
occasionalium, de qua mox capite sequenti.

---



---

## C A P U T VI.

### HYPOTHESIS CAUSARUM OCCASIO- NALIUM.

---

#### § I.

##### *Fundamentum hypotheseos causarum occasio- nalium.*

**Q**ui creaturas causas efficientes esse negant,  
non ideo negant, dari inter contingentia  
nexum, unumque contingentium ab alio depen-  
dere in existendo; sed nexus hunc, istamque  
contingentium unius ab alio dependentiam non-  
nisi occasionalem, adeoque contingentia causas qui-  
dem, sed occasioales solum esse contendunt.  
En! unde nata sit hypothesis causarum occasio-  
nalium.

#### § 2.

## § 2.

*Hypothesis causarum occasionalium an omnibus  
eam statuentibus eadem sit?*

Neque tamen hypothesis causarum occasionalium omnibus eam statuentibus eadem est: alii namque solam & unicam effectuum quorumvis causam efficientem Deum esse contendunt adeo, ut nequidem animam hominis quoad actus voluntatis, ut vocant, immanentes excipient, quam tamen quoad actus illos omnino excipiendam esse contra adteverant alii: ac cum posterioribus passim sentiunt, quotquot hypothesis istam aera-  
te hac nostra defendunt.

## § 3.

*Exponitur hypothesis causarum occasionalium.*

Objectiones contra hypothesis causarum occasionalium moveri solitae argumento sunt, eos, qui hypothesis istam impugnant, illam plerumque parum intelligere. Quare operae pretium nobis visum est esse, eam adcuratius hic exponere. In hypothesis igitur causarum occasionalium, prout illa communiter nunc admittitur (si animam quoad actus voluntatis immanentes excipias) Deus unica & sola dicitur esse causa efficiens effectuum quorūcunque; dicitur autem esse causa efficiens effectuum istorum, non actione quadam transeun-  
te, qualis utique in Deo repugnaret, sed aeterno voluntatis Decreto, quo Deus ab aeterno decrevit, hunc vel illum effectum in tempore, at ea ta-  
men lege futurum esse, ut semper aliquid, vel

mo-

motus scilicet in corpore, vel actus aliquis voluntatis liber in ente rationali praecesserit, ex quo possit intelligi, quod ejusmodi effectus modo producendus sit. Paucis: Deus in hypothesi causarum occasionalium universe hanc dicitur statuisse legem in rebus contingentibus, ut si certi quidam motus, mutationes certae praecesserint, certi inde sequantur effectus; quo effectuum illorum causa quidem efficiens ipse (Deus) est, sed ita tamen, ut creaturae effectibus illis praebent occasionem; indeque creaturae dicantur esse cause occasio[n]ales.

## § 4.

*Quid de hypothesi ista sentiendum nobis videatur?*

Profecto, qui hypothesin istam animo praejudiciis libero expendere ac dijudicare voluerit, adeo nihil in illa absurdii deprehendet, ut potius omnes hypotheseos verae dotes, *Lib. IV. Log. Part. 2. Cap. XI. §. 10.* expositas, eidem inesse, comperturus fit.

## § 5.

*Solvuntur objectiones.*

Quo tamen non obstante osores hypotheseos causarum occasionalium eam impugnare pergunt & exhibilare. Quae vero adversus eam frequentius objiciunt, sequentia sunt: primo, ajunt, in hypothesi ista omnis contingentium inter se nexus tollitur causalis; sed hoc falsum esse, patet ex praece-

cedentibus §. 1. Unde sequitur, & illas pariter sequelas, quas inde deducunt, falsas esse, nempe quod admissa hac hypothesi vana sit omnis philosophia: eoquod nullus tunc inquisitioni in causas locus esse queat: seu quod miracula vel plane nulla dentur, vel miracula sint, quaecunque fiunt. Deinde, pergunt, hypothesis ista injuriam infert Deo; Deum enim actionum quarumvis etiam malarum (moraliter certe) auctorem esse adserit; quo produnt, quam parum sive hypotheseos sive malis moralis naturam mente comprehendant; profecto, quidquid in actionibus humanis turpitudinis est sive malitia, a perversa hominis voluntate dependere certum est, nec Deum illius esse causam, ullus unquam adseruit defensor hypotheseos causalium occasionalium. Inde ruit alia ejusdem fere farinae objectio, qua per hypothesis illam libertatem hominibus adimi contendunt: nonne enim in hypothesis illa, prout communiter nunc admittitur, omnino excipiuntur actus voluntatis liberi, vid. §. 3. Tandem in hypothesis ista haud dari in homine veram animae cum corpore unionem arguunt; quasi vero unio vera sine influxu physico darinon possit! Vides itaque, quam verum sit, quod supra jam meminimus §. 3., objectiones, quae contra hypothesis istam moveri solent, ex ignorantia plerumque proficiunt: plerumque enim, qui hypothesis hanc impugnant, eam minus intelligere, ex objectionibus a se factis convincuntur.

## § 6.

*Argumentum pro confirmatione hypotheseos causarum occasionalium ab assertione adversariorum petitum.*

Pro confirmatione hypotheseos causarum occasionalium haud praetereundum esse putavimus, quod vel osores etiam illius ad eam proprius, quam forte crediderint ipsi, accedant. Exemplo sit P. Horvath, qui plures in eo sibi consentientes habet. Hic in hypothesi virium, ut vocant, ad trahivarum & repulsivarum, causam istarum virium triplici modo ait posse explicari, modusque, quem ibi primo loco adducit, hic est: *posset fieri, inquit Cosmolog. cap. sept. n. 251. propos. IV., ut corpora natura sua paratissima sint ad quascunque motuum leges a Deo libere sanciendas, & eadem certo intervallo a se sejuncta Deus ipse juxta legem a se libere stabilitam ad accessum mutuum vel recessum determinet.* Adde, Deum sanxisse legem, ut, si certi fiant motus in organo quodam corporis, & ad cerebrum usque propagentur, anima inde certo modo adficiatur, & ad nutum animae corpus moveatur, & totam habes hypothesin causarum occasionalium. En! quam prope ad hypothesin causarum occasionalium vel ipsi illius osores accedant.

---

CA-

## C A P U T VII.

DIVISIONES CAUSAE IN HYPOTHESI  
INFLUXUS PHYSICI, UNA CUM ADPLI-  
CATIONE AD HYPOTHESES CAU-  
SARUM OCCASIONALIUM.

§ 1.

*Aliqua hic praenotanda.*

Circa divisionem causae advertendum est: non equidem primo causa proprie dicitur nisi causa efficiens; propter analogiam tamen, quam cum causa efficiente habet, hoc nomine pariter venire solet causa occasionalis. Porro causam hic non aequa consideramus, quatenus reipsa influit in effectum, sive actione sua eundem producendo, sive ejusdem productioni praebendo occasionem; sed magis, quatenus in eum potens est influere. Tandem ex omnibus, qui hypothesin causarum occasionalium admiserunt, nullus adhuc, quem ego quidem scio, in divisione causae, rationem habuit istius hypotheseos, sed divisiones causae passim adducunt non secus, ac si pro hypothesi influxus physici starent. Id igitur muneris esse duximus, ut, ubi divisiones causae, prout obtinent in hypothesi influxus physici, narratione exponimus, rationem etiam seu modum expedire haud negligamus, quo divisiones illae hypothesi causarum occasionalium adPLICANDAE sint. Caeterum hic ea ratione procedemus, ut divisiones, quae vel nul-  
lius

lius vel minoris etiam momenti, ususque nobis esse videntur, silentio praetererimus.

## § 2.

*Divisio causae in primam & secundam.*

Dividitur autem causa in hypothesi influxus physici, primo in primam & secundam. Prima est, quae a nulla alia dependet in agendo, & cui caeterae subjiciuntur causae; eaque Deus est. Secunda est, quae in agendo dependet a causa prima; ejusmodi causae sunt res creatae. Divisionem hanc causae, si solos praemotionis physicae patronos excipias, aequem admittunt adsertores hypotheseos causarum occasionalium, ita tamen, ut ejusmodi causas efficientes secundas esse non dicant, nisi entia ratione praedita, & quidem ratione actuum voluntatis duntaxat, ut vocant, immanentium; in reliquis contingentia non sunt nisi causae solum occasioales.

## § 3.

*Divisio causae in liberam & necessariam.*

Causa porro, & quidem efficiens in hypothesi influxus physici, in liberam & necessariam dividitur. Libera est, a cujus electione pender agere vel non agere, secus necessaria est. In hypothesi causarum occasionalium, in qua ceu causae efficientes non admittuntur nisi entia ratione praedita, §. *praeced.*, omnis causa efficiens libera est. In illa igitur hypothesi divisio causae in liberam & necessariam non in causam efficientem, sed

in causas solum cadit occasio[n]ales. Causa occa-sionalis libera est, quae pro arbitratu suo ponere potest, vel non ponere occasionem effectus; si minus, necessaria est. Sic v. g. mens hominis causa occasionalis libera est motuum, qui ad nutum animae in corpore producuntur; corpus autem illarum animae affectionum, quae factas in organo mutationes subsequuntur, puta! sensationum causa occasionalis necessaria est.

## §. 4.

*Divisio causae in causam per se & causam per accidens.*

Divisio quoque causae in causam per se & causam per accidens, quae in hypothesi influxus physici causae efficienti adhibetur, in hypothesi causarum occasionalium ad solas causas occasio[n]ales pertinet; & quidem, cum causa occasionalis alia libera sit & ratione praedita, alia necessaria & ratione destituta, §. *praeced.*, causa ratione praedita tunc dicitur esse causa per se, dum effectus sequitur, quem animo habebat designatum; secus, nempe si effectus sequitur animo haud designatus, causa per accidens est. Causa necessaria seu ratione destituta causa per se dicitur esse, cum ille sequitur effectus, quem juxta leges communes sequi necesse est; quodsi contrarius sequatur effectus, causa per accidens esse dicitur. Causae per se ratione praeditae exemplum habes in homine, qui sciens volensque hominem transfodit; quem si manipulum stramentorum esse credidisset, causa foret per accidens. Causa per se necessaria, seu ratione carens est medicina ad sanitatem con-

ducens; medicina vero mortem accelerans causa ratione carens per accidentis est.

## § 5.

*Causa solitaria, Concausae,*

Causa, siqua unica & sola in effectum influente ponatur effectus, solitaria dicitur; plures causae, ad producendum aliquem effectum concurrentes, concausae vocantur; efficientes, si agendo producant effectum; occasioales vero, si effectui solum praebeant occasionem. Sic quatuor equi, currum (ut cum vulgo ex confusis sensuum perceptionibus rem aestimante loquar) trahentes, concausae sunt; efficientes in hypothesi influxus physici: occasio- nales vero in hypothesi causarum occasionalium.

## § 6.

*Concausae vel co- vel subordinatae sunt.*

Plures causae ad productionem alicujus effectus concurrentes, vel simul, vel successive solum concurrunt ad effectum producendum. Si prius, concausae coordinatae dicuntur: subordinatae vero, si posterius. Exemplum concausarum co-ordinatarum habes in quatuor equis currum simul trahentibus. Pater, avus, proavus &c. concausae sunt subordinatae filii.

## § 7.

*Divisio causae in proximam & remotam &c.*

Ex causis subordinatis, ad productionem effectus successive concurrentibus, aliam alia effectui pro-

proximiorem, remotiorem esse aliam necesse est. Inde divisio causae in proximam & remotam &c. Causa proxima est, quam inter & effectum nulla alia intercedit causa; secus, remota est. Sic pater causa proxima filii, remota avus est. Causa proxima immediata, mediata vero remota quandoque adpellatur.

## § 8.

*Divisio causae in physicam & moralem, principalem & instrumentalem.*

Non raro contingit, ut ens aliquod non quidem immediate influat in effectum, sive actione sua eum producendo, sive occasionem etiam eidem praebendo; efficiat tamen, ens quoddam aliud determinari ad id, quo causa est effectus illius. Quod si fit; advertendum est, an ens istud alterum ratione & libertate praeditum, an vero ratione, atque sic libertate pariter destitutum sit. Si prius, nempe si ens, quod determinari facit (fieri autem potest multis modis, vel jubendo scilicet, vel suadendo &c.) ratione praeditum sit; ens istud alterum causa quidem physica effectus est: sed ipsum tamen causa dicitur esse moralis. Sic pater mandans filio, ut gladio aliquem transforiat, causa moralis est internecionis, physica filius. Si posterius, nempe si ens istud alterum ratione destituatur; ens equidem utrumque causa physica est effectus: sed principalis dicitur esse determinans, instrumentalis determinatum.

## § 9.

*Causa ministerialis.*

Causa ministerialis, quam instrumentalem alii quandoque nominant, esse dicitur, quae virtute non propria, sed aliena quidquam efficit. Ejusmodi causa ministerialis est sacerdos in confectione Sacramenti Eucharistiae.

## C A P U T VIII.

## AXIOMATA EX DICTIS CONSEQUEN-TIA.

## § 1.

Axioma primum: *Nihilum seu nonens esse nequit causa alicujus, sive efficiens, sive occasionalis.*

**E**sse causam alicujus, sive efficientem, sive occa-sionalem solum, aliquid positivum est, reale: actione enim, vel motu saltem aliquo, aut mutatio-ne opus est in ente, ut causa sit alicujus, sive effi-ciens, sive occasionalis solum. Sed nihilo, non-enti competere nequit, quidquid positivum, reale est. Nihilum itaque seu nonens esse nequit causa alicujus, sive efficiens, sive occasionalis.

## § 2.

## § 2.

**Axioma secundum:** *Non potest aliquid esse causa sui ipsius.*

Unde fluit, neque posse aliquid sui ipsius esse causam: sequeretur enim nihilum revera esse causam alicujus, siquid sui ipsius esset causa.

**Corollarium.** Non igitur datur *ens a se* positive; sed negative solum, seu eo sensu, quod nullam habeat causam sui.

## § 3.

**Axioma tertium:** *Nec possunt duo entia sibi mutuo esse causae.*

Porro, si duo entia sibi mutuo forent causae, sequeretur nihilum seu nonens esse causam alicujus. Unde manifestum est, nec duo entia sibi mutuo causas esse posse.

## § 4.

**Axioma quartum:** *Non potest esse plus in effectu, quam est in causa.*

Denique nec plus esse potest in effectu, quam est in causa: intelligitur enim, vel sic etiam nihilum seu nonens esse debere alicujus causam; quod esse nequit, *Axiom. I.*

**Corollarium.** Omnis igitur causa, praesertim efficiens in se continere debet effectum, vel formaliter, ut scholae loquuntur, vel saltem eminenter.

## H 3

## § 5.

## § 5.

Axioma quintum: *Quod est causa causae, est etiam causa causati.* Ejus limitatio.

Tertium in scholis adagium est: *Quod est causa causae, est etiam causa causati:* sed illud tam non obtinet nisi in causis subordinatis necessariis.

## § 6.

Axioma sextum: *In serie quacunque causarum subordinatarum necessario pervenitur ad primam quandam.*

Quantacunque supponatur esse series causarum subordinatarum; nunquam tamen potest esse infinita, *Ontolog. Cap. XI. §. 7.* Quare in serie quacunque causarum subordinatarum necesse est perveniri ad primam.

*Corollarium.* Manifestum est igitur, admissa quacunque serie contingentium successive se causantium, non dari rationem sufficientem existentiae illorum, adeoque ab existentia entium contingentium ad existentiam entis necessarii argumento plane valido concludi.

## § 7.

Axioma septimum: *Concausis omnibus ad productionem effectus concurrentibus ponitur effectus.*

Posita ratione sufficiente ponitur rationatum. Sed concausis omnibus ad productionem effectus con-

concurrentibus ponitur ratio effectus sufficiens; ergo concausis omnibus ad productionem effectus concurrentibus necessum est poni effectum.

*Corollarium.* Ex quo prona fuit consequentia, eo probabiliorem esse effectum quendam, quo plures ex illius concausis ad ejus productionem reipsa concurrere intelliguntur.

### § 8.

Axioma octavum: *Quod productum est, aeternum esse nequit.*

Aliquid productum esse, & tamen non habuisse initium, omnino repugnat. Quidquid initium habuit, aeternum esse nequit; non igitur, quod productum est, aeternum esse potest.

### § 9.

Axioma nonum: *a causis similibus ad similes effectus, & vicissim, bene concluditur.* Quid de Axiomate hoc censendum?

A causis similibus ad similes effectus, & vicissim, bene concludi, haud posse negari videatur, quin simul negetur, experientiae inesse vim ad nos de veritate convincendos; Imo vero vel ex notionibus etiam videtur evinci veritas jam dicti principii, quod causarum analogiarum, vel analogiae etiam simpliciter adpellant: Quodsi tamen graviora forte momenta principio huic aliquando opponantur, ex illo valide concludi non posse, certum est; qualis casus num extet, ubi pro ani-

mabus brutorum ab analogia dicitur argumentum, hic adhuc determinari nequit.

## § 10.

*Effectus aliquando aequo, & quandoque magis imputatur causae morali, quam physicae.*

Quando causae plures ad producendum aliquem effectum concurrunt; effectus imputatur, seu attribuitur causae cuilibet pro ratione, qua in effectum, plus minusque ad ejus productionem conferendo, influit. Unde, cum causa moralis aliquando aequo multum, & quandoque plus conferat ad productionem effectus, quam causa physica, patet, effectum aliquando aequo, & quandoque magis imputari causae morali, quam physicae.

## C A P U T IX. DE CAUSA FINALI.

## § 1.

*Finis inter causas, saltem improprie tales, jure refertur.*

**C**ausam proprie non dici nisi efficientem, aliquoties jam innuimus. Attamen inter causas, saltem improprie tales, jure referri posse finem, vel inde satis liquet, quod ad agendum permovet

veat causam efficientem (quemadmodum ex mox dicendis patebit) atque sic ad productionem effectus haud parum conferat.

## § 2.

*Finis quid?*

Est autem finis id, quod per effectum consequi exoptat causa; vel cuius intuitu seu gratia aliquid fit. Sic v.g. studiorum finis est scientiarum adquisitio.

*Corollarium.* Nemo aliquid consequi exoptat, nisi quidquam boni eidem inesse arbitretur, ut sua quemque conscientia convincit. Omnis igitur finis rationem quandam boni, sive veram, sive adparentem saltem habeat, necesse est. Notionem boni exponemus in Psychologia.

## § 3.

*Sola causa ratione praedita agere potest propter finem, nec aliter, quam propter finem, agit unquam.*

Finis non potest excitare causam ad agendum sui consequendi causa, nisi prius & finis ipse, & modus illum consequendi intelligatur. Non igitur propter finem agere potest, nisi causa ratione seu intelligentia pollens. Cumque causa ratione praedita etiam absque motivis non agat, ut in Psychologia docebimur; eam nec aliter, quam propter finem, agere, compertum est.

*Corollarium.* Ab illorum igitur alterutro ad alterum, a finibus nempe in effectu quodam relucientibus ad causam intelligentia praeditam, & a causa intelligentia pollente ad operis fines legitime concluditur. En principium! quod vocant causarum ratione seu intelligentia pollutum.

## § 4.

*Medium quid? quid impedimentum?*

Quidquid ad finem adsequendum idoneum reperitur, nuncupatur medium; illud vero, quod consecutioni finis officit, impedimentum dici consuevit.

*Corollarium.* Qui vult finem, velle & media, ac submoveare pariter impedimenta debet; secus nec finem saltem ferio velle convincitur.

## § 5.

*Fines co- & subordinati.*

Saepe contingit, ut causa intelligentia pollens in opere quodam non unum solum, sed omnino plures intendat fines. Quod si fiat; advertendum est, an fines illos simul, an successive solum adsequi eosdem cupiat, unumque referat ad alium. Si primum, fines illi plures coordinati; subordinati vero vocantur, si fuerit alterum.

## § 2.

## § 6.

*Divisio finis in proximum, & remotum &c. & ultimum.*

Ex finibus subordinatis proximus ille dicitur, qui a causa proxime vel nullo alio fine intermedio intenditur; finis autem, quicunque jam alio, vel aliis finibus intermediis intenditur, remotus, mediatus nuncupatur. Inter fines remotos ultimus est, ad quem omnes intermedii referuntur. Sic ejus, qui ad condiscenda Logicae praecepta animum adjicit, finis proximus est notitia illorum praceptorum; remotus habilitas ad consequendas alias quascunque scientias; remotior bonum tam privatum quam publicum; ultimus omnium esse saltem debet gloria Conditoris.

## § 7.

*Finis absolutus & relativus.*

Finis quoque & bene quidem dividitur in absolutum & relativum. Finis, qui ita intenditur, ut ad alium rursus finem non referatur, absolutus est; si vero ad alium & ipse iterum referatur finem, relativus est.

*Corollarium.* Finis itaque relativus, qui intermedius etiam & subalternus dicitur, respectu finis ulterioris, ad quem refertur, rationem habet medii.

## § 8.

## § 8.

*Finis principalis, & secundarius.*

Finis porro in principalem & minus principalem seu secundarium dividitur. Finis principalis est, qui ex pluribus finibus, qui simul intenduntur, ita intenditur a causa, ut, si vel solus esset, sufficeret ad movendam causam. Secundarius est, qui, si solus foret, non moveret causam. Sic, si quis amicum salutandi, & animum simul distrahendi causa quoquam vaderet, ita comparatus animo, ut, si vel solum ibi amicum haberet salutandum, nihilominus illo vaderet, minime vero, si animus tantum esset distrahendus; salutatio amici primarius, principalis; secundarius autem seu minus principalis finis esset animi distractio.

*Scholion.* Qui perpenderit, quantum in moralibus ab intentione seu a fine, quem in actione quadam praestitutum sibi quis habet, pendeat; facile intelligeret, quam insignis sit hujus de finibus doctrinae usus in moralibus.

C A P U T X.  
DE PERFECTIONE ET ORDINE.

## § 1.

*Quantum interfit, notiones has ordinis & perfectionis adcurate determinari?*

**N**otiones has ordinis & perfectionis summi momenti, ususque esse in philosophia, vel inde  
fa-

tis liquet, quod quaestiones, quales in Metaphysica jamjam, veluti in Cosmologia de ordine & perfectione mundi, de perfectionibus divinis in Theologia naturali &c. occurunt, sufficienter intelligi, ne dicam, solide resolvi nequeant; nisi, quid ordo sit, quidque perfectionis nomine veniat, compertum habeatur. Ex quo intelligitur ultro, quantum intersit, notiones has ordinis & perfectionis, quam illud fieri potest, adcuratissime exponi ac determinari.

## § 2.

*Perfectio dupli in sensu sumitur.*

Perfectio non uno semper eodemque sensu sumitur: perfectio namque aliquando dicitur entis determinatio quaecunque positiva, utilis ad finem, seu ad bonum aliquod quocunque, sive adsequendum, sive promovendum faciens. Aliquando autem tota summa ejusmodi determinationum entis, vel, ut verius dicam, sufficientia entis ad fines sibi praestitutos, quae per ejusmodi summam determinationum seu realitatum ens simul constituentium obtinetur, perfectionis nomine designatur.

## § 3.

*Cause distinguendum, in quoniam ex dupli hoc sensu perfectio sumatur.*

Et quamvis perfectio alterutro hoc sensu accepta multum cum perfectione sumta in sensu altero commune habeat, ut facile patebit expendenti: intelligitur enim, perfectionem priori in sensu ac-

acceptam partem esse, seu verius, principium, sed partiale solum & inadaequatum perfectionis in sensu posteriori acceptae; vitandae tamen confusioneis omnisque perturbationis gratia, inter perfectionem alterutro hoc sensu acceptam distinguere supervacaneum haud erit.

## § 4.

*Qua ratione fieri id possit?*

Quam distinctionem brevius aptiusque fieri haud posse existimamus, quam si, ut visum est Crusio, perfectio priori in sensu accepta *perfectio quaedam entis* dicatur; perfectio autem, sumta in sensu posteriori, *perfectio entis* simpliciter denominetur.

## § 5.

*Quo in sensu sumatur perfectio? quando in absolutam & relativam, puram & mixtam, veram & adparentem &c. dividitur.*

Perfectio in absolutam & relativam, puram & mixtam, in veram item & adparentem dividi solet; quae tamen divisio non cadit nisi in perfectionem in sensu priori acceptam, seu quatenus perfectio dicitur determinatio entis quaecunque positiva, utilis. Est autem perfectio absoluta determinatio utilis enti, cuius est determinatio, ejus scilicet bonum felicitatemque fundando, augendo summam realitatum &c. Relativa est, qua bonum procuratur alterius. Perfectio pura est, quae nullam habet admixtam imperfectionem; censembitur au-

autem admixtam habere imperfectionem, sive bonum entis, quod ex una quidem parte promovet, impedit ex parte altera; sive limitata sit solum, sive negationem realitatis ulterioris saltem involvat. Ex quo intelligis, perfectiones creaturarum seu entium quorumvis contingentium mixtas esse omnes. Perfectione vera est, quae revera summam realitatum in ente, atque sic ejus ad fines sibi praestitutos sufficientiam auger. Adparens est, quae, cum summam realitatum in ente, ejusque ad fines sibi praestitutos sufficientiam augere videtur, eandem re ipsa minuit.

## § 6.

*Reflexio quaedam utilis.*

Ex dictis, me quoque non monente, quivis facile intelliget, non posse illum inter recensitas modo perfectionis species discernere, qui, quae-nam sit summa realitatum in ente requisita, qui-que sint fines eidem praestituti ac praesertim ulti-mus, compertum non habet.

## § 7.

*Circa perfectionem entis quoque distinguendum est inter perfectionem entis finiti & infiniti.*

Porro, etiam ubi de perfectione entis est ser-mo, opus est distinctione; distinguendum est sci-licet, an de perfectione entis finiti, an vero de perfectione entis infiniti quaeratur.

## § 8.

## § 8.

*Quodnam inter utramque sit discriminem?*

Est autem inter utramque, entis scilicet finiti & infiniti perfectionem discriminem: quod perfectio entis infiniti una sit, simplex, infinita, seu talis, qua major cogitari non possit, quaeque proinde, quidquid est realitatis, sine omni defectu seu negatione involvat; perfectio autem entis finiti ex pluribus perfectionibus finitis componatur, adeoque finita sit seu limitata, *Ontolog. Cap. XI. §. 8. confess. I.*

## § 9.

*Quaenam in perfectione infinita entis infiniti, nostro saltem concipiendi modo involvantur?*

Etiamsi vero perfectio infinita entis infiniti una sit & simplex; in ea tamen nostro saltem concipiendi modo quaedam, veluti aeternitas, immensitas, omnipotentia, & quae ex his ulti intelliguntur, necessario involvuntur.

## § 10.

*Ex dictis consectorum.*

Inde est, quod, ubi de perfectione Dei seu entis infiniti meditationes philosophicas instituimus, de perfectionibus divinis illas institui, dicamus, hoc cap. §. I.

## § 11.

## § 11.

*Alterum ex dictis consecutarium.*

Ex dictis porro liquet, perfectionem entis, quam supra §§. 2. 4. descripsimus, proprie non esse nisi perfectionem entis finiti, eamque nonnisi improarie seu nostro solum concipiendi modo posse attribui enti infinito, imo vero plane incomprehensibilem nobis esse perfectionem infinitam entis infiniti.

## § 12.


*In dijudicanda entis finiti perfectione quaenam potissimum in computum veniant?*

Perfectionem entis finiti sufficientiam ejusdem ad fines praestitutos, hancque principiatum esse summae realitatum in ente, ex dictis *supra* §. 2. certum est. In dijudicanda igitur entis finiti perfectione adtendenda sunt, summa realitatum in ente, ejusque fines & praesertim ultimus. Videantur, quae dicta sunt *supra* §§. 5. & 6.

## § 13.

*Fines entis undenam colligi possint?*

Finem creaturarum omnium ultimum esse gloriam Conditoris jam supra meminimus *Cap. praeced.* §. 6. Attamen ad finem hunc ultimum nonnisi per fines intermedios saepe complures destinantur creaturae, quos fines creaturarum intermedios plerumque non aliter, quam ex ipsa summa realitatum, partium scilicet, virium, facultatum instinctuumque illius naturalium intelligere valemus. Quod vero ex ejusmodi summa



realitatum in ente ejusdem fines colligi queant, inde liquet, quod perfectio entis, quae juxta definitionem superius §. 2. datam, ejusdem ad fines sibi praestitutos sufficientia est, principiatum sit summae realitatum, §. *praeced.* ex principio autem colligi posse principiatum, nemo facile haesitabit; quamvis saepe admodum difficile sit illud, & solerteriam exposcat haud vulgarem.

### § 14.

#### *Cautio necessaria.*

Cavendum tamen, ne, quando a summa realitatum in ente ad ejus fines argumentamur, realitatibus continuo adnumeremus, quidquid enti, etiam naturaliter inesse deprehendimus: esse enim potest, ut aliquid arbitrio, sive humano, sive entis alterius contingentis liberi mutatum sit in ente; veluti mutatum est in homine arbitrium, postquam per peccatum concupiscentia in animum humanum fuit introducta. Distinguendum scilicet inter perfectionem seu realitatem veram & apparentem solum. *Vid. §. 5.*

### § 15.

#### *Perfectio entis cujuscunque finiti minime absoluta, sed relativa solum est.*

Perfectionem entis, intellige! finiti in essentialem dividi & accidentalem, nec posse ens aliquod destitui perfectione saltem essentiali, jam dictum est supra *Ontolog.* Cap. III. §§. 7. & 8. ubi ostendimus etiam, an & quo sensu ens quodlibet in suo genere vel specie perfectum dici possit

fit ac debeat, *vid. cap. cit. §. 9.* Inde tamen non sequitur, contingentia simpliciter seu absolute esse perfecta, nec posse illa, imo verius debere simul dici imperfetta: est enim perfectio entis cuiusunque finiti necessario finita sive limitata, *§. p. 8.* atque vel ideo negationem pariter involvit seu imperfectionem, *§. 5.* Sed relativa solum est perfectio entium quorumvis finitorum, relate scilicet ad certos fines, relate ad certam realitatem summam, quae in ente quolibet desiderantur, quatenus ad certum genus sive speciem refertur.

## § 16.

*In perfectione finitorum a partibus distinguen-  
di sunt gradus.*

In perfectione finitorum a partibus distingui gradus necesse est: partium enim, etiam essentialium gradus plerumque solum est contingens, potestque partium mutari gradus, vel augeri scilicet vel minui, quin tamen essentia vel perfectio mutetur essentialis; nisi forte ad perfectionem entis essentialis certus ac determinatus gradus requiriatur.

## § 17.

*Perfectionis species quid? quibus entibus possit com-  
petere?*

Perfectionis species notatu dignissima est perfectio moralis, quae in recto libertatis & per hanc reliquarum quoque facultatum usu ad finem ultimum seu summum bonum consistit; quaeque proinde non competit nisi entibus intelligentia praeditis.

## § 18.

*Quid ordo?*

Ordinis varias varii dant definitiones; quae passim tamen innuunt, ad ordinem desiderari immo plura, sive coexistentia sive successiva. 2do Regulam, qualis quandoque idea quaedam seu exemplar mente conceptum, quandoque bonum aliquod reale, effectus quidam physicus est. Ac denique 3to plura illa apte disposita esse ad regulam. Ordinem itaque ex hisce definimus, quod sit *apta plurium sive coexistentium sive succendentium dispositio ad regulam*. Sic in bibliotheca v. g. habetur ordo si libri in ea distributi sint ad regulam, veluti si libri jungantur vel idem argumentum pertractantes, vel eadem forma donati.

## § 19.

*Ordo vel verus est vel solum adparens.*

Quandoquidem vero ordo sit apta plurium dispositio ad regulam; regula autem, praesertim quatenus pro regula adsumitur idea quaedam sive exemplar mente conceptum, vel vera esse possit, realis, utilis, vel adparens solum, commentitia inutilis, & vana; ordinem in verum & adparentem rite dispesci, manifestum est. Sic verus in bibliotheca ordo habebitur, si in distributione librorum ratio habeatur argumenti; contra, si ad solam respiciatur formam librorum, ordo erit adparens.

## § 20.

*Item vel simplex vel compositus.*

In simplicem porro & compositum recte dividitur ordo. Simplex est, qui unicam duntaxat ha-

habet regulam. In quo plures habentur regulae, compositus est. Sic, si in distributione librorum solius argumenti, quod pertractant, ratio habeatur, ordo simplex dabitur in bibliotheca; si vero praeter argumentum ad formam adhuc, chronologiam &c. adtendatur, compositus erit ordo.

*Corollarium.* Ex dictis facile quivis intelligeret, eo concinniorem esse ordinem, quo plures id genus regulae habentur, quoque ad regulas illas aptius cuncta sunt disposita.

### § 21.

*Ab ordine operis ad intelligentiam opificis bene concluditur.*

Porro ex dictis haud obscure intelligitur, regulam quamcunque ordinis rationem habere finis; adeoque ab ordine in opere non minus ad intelligentiam opificis, quam a finibus in effectu quodam re lucentibus ad causam intelligentia praeditam, *Cap. praeced. IX. §. 3. coroll.*, apte concludi.

## C A P U T XI. DE CAUSA EXEMPLARI.

### § 1.

*Causa exemplaris cur platonica dicatur.*

**A**d ultimum nunc causae genus, exemplarem scilicet, devolvimur; quam platonicam adpellant  
I 3

lant, eoquod inventum sit Platonicorum, qui eam famosis quatuor causarum generibus Aristotelicorum ceu quintam adjecere. *Vide supra Cap. III. §.9.*

## § 2.

*Quid causa exemplaris.*

Est autem causa exemplaris, prout inter causas illa etiam nunc refertur, *idea* sive *exemplar*, *ad quod respiciens artifex efficit id, quod animo habebat designatum.*

## § 3.

*An inter causas bene referatur exemplar?*

Inter causas autem, saltem, improprie tales, bene refertur exemplar; quatenus, quod nemo facile in dubium vocabit, ad productionem operis seu effectus multum conducat, modum exhibendo, quo res conficienda est.

## § 4.

*An causa exemplaris idem fuerit Platonicis, quod nobis est?*

Causam exemplarem inventum esse Platonicorum, mox dictum est §. 1. &, quamvis causam exemplarem eo fere sensu passim usurpaverint Platonici, quo illam hic accipimus, negari tamen non potest, exemplar aliam quandoque apud eos, Platonem praecipue, significationem habuisse, eosque vocabulo isto ideas, Dei praesertim archetypas, formas in eorum saltem sententia, reales designare voluisse.

COS-



# COSMOLOGIA.

## C A P U T I .

### DE ARGUMENTO ET MODO PHILOSO- PHANDI IN COSMOLOGIA.

---

§ I.

*Cosmologia quid? an circa illius objectum con-  
veniant auctores?*



Cosmologia vi nominis sermo de mun-  
do est. Per mundum autem alii  
mundum hunc nostrum aspectabi-  
lem, individuum, alii vero mun-  
dum in genere intelligunt. Inde est, quod in suis  
de mundo disputationibus toto coelo inter se di-

Screpent auctores, aliis a posteriori & per experientias, a priori & ex notionibus solum universaliibus philosophantibus aliis.

## § 2.

*Quod cosmologiae objectum sit mundus in genere.*

Non equidem negamus, totius, quam de mundo habemus, cognitionis fundamentum esse experientias, adeoque notionem mundi in genere haud aliter a nobis adquiri, quam ex consideratione mundi hujus asperetabilis, individui. At nemo tamen etiam inficias ibit, posse illum, qui vera semel notione mundi est imbutus, ex ipsa mundi notione de mundo aptissime philosophari; id quod fieri debere in cosmologia, certum est inde; quod in metaphysica, cuius Cosmologia pars est, non per experientias seu a posteriori, sed a priori solum seu ex notionibus universaliibus sit philosophandum. *Vid. Prooem. Metaphys. §. XII.*

## § 3.

*Quo ordine de mundo hic disputare constituerimus?*

De mundo autem in subsequentibus eo ordine disputabimus, ut notionem prius mundi determinare studeamus; de unitate mundi dein differentes, quaestionem: num plures dari mundos repugnet? elucidemus; & post haec de creatione mundi dicamus: ubi, num mundus Deo potuerit esse

esse coaeternus? inquiremus; his quoque expeditis ad rerum in mundo nexus transeamus, de miraculis pariter ibidem dicturi: & tandem de perfectione mundi loquamur.

---

## C A P U T II.

### DE NOTIONE MUNDI IN GENERE.

---

#### § 1.

*Quam parum circa notionem mundi conveniant auctores?*

**C**irca notionem mundi admodum variant auctores; nec mirum: mundum enim alii hunc nostrum aspectabilem describunt, mundum alii in genere definiunt. *Vid. cap. praeced. §. I.*

#### § 2.

*Mundus in genere quid?*

**E**st autem mundus in genere (hunc enim definire constitutum est nobis) *systema quoddam magnum ex systematibus compluribus aliis majoribus minoribusve ordine dispositum.*

#### I 5

#### § 3.

## § 3.

*Consectaria ex data mundi definitione.*

Unde consequitur primo mundum esse aliquid maxime compositum; *Ontolog. cap. XI. §. 4.* unde liquet, porro mundum esse contingentem *cit. cap. §. 8. conse<sup>t</sup>. 5.* adeoque sine causa efficiente existere eundem non posse, *per principium rationis sufficientis.* Deinde mundi Conditorem ens intelligentia praeditum esse, *Aetiolog. cap. X. §. 21.*

## § 4.

*Mundi essentiam quisnam per videat?*

Ex eo quoque, quod mundus ex variis systematibus majoribus minoribusve ceu totum aliquod componatur, intelligere est, mundi essentiam haud per videre, nisi illum, qui systemata singula, ex quibus ceu partibus mundus coalescit, modumque, quo partes illae inter se junctae sunt, novit. *Vid. cap. XI. Ontolog. §. 6.*

### C A P U T III. DE UNITATE MUNDI.

## § 1.

*Unum quotuplici sensu dicatur?*

**U**num dicitur, quidquid indivisum in se & divisum sive distinctum est a quolibet alio, *vid. On-*

*Ontolog. cap. III. §. 2.* dicitur etiam unum, quod solum est, seu praeter quod aliud non datur.

### § 2.

*Mundus quo sensu unus sit?*

Mundum in sensu priori unum esse dubitare nullus potest, nisi mundum ens esse inficias eat. In sensu autem posteriori indaginis nonnihil difficultioris multis visa est quaestio de unitate mundi.

### § 3.

*In quaestione, an unus solum mundus detur?  
distinguendum est inter existentiam & possibilitatem,  
item possibilitatem internam inter & externam.*

Quam quidem quaestionem ut facilius feli- ciusque expediamus, distinguendum esse puta- mus inter existentiam & possibilitatem, item pos- sibilitatem internam inter & externam: aliud est enim querere, num unus solum mundus existat? & aliud, num unus solum mundus sit possibilis? aliud porro, in hypothesi saltem Leibnizianorum, *vid. Aetilog. cap. IV. §. 3.* an unus solum mundus possibilis sit externe? & aliud tandem, an etiam interne unus solum mundus sit possibilis?

### § 4.

*Variorum hac de re sententiae.*

Sunt, qui unicum solum mundum esse pos- sibilem, inde probare contendant, quod mundus sit

sit tota rerum creatarum universitas; sed hi incepta mundi definitione uti facile convincuntur. Alii contra plures mundos non solum possibles esse, sed etiam re ipsa existere adfiant persuasi, perfectionibus divinis, sapientiae, bonitati &c. hoc esse conforme. Leibniziani non equidem negant, plures mundos interne possibles esse, inficiantur tamen, plures mundos externe esse possibles; &, quod mireris, hanc plurium mundorum impossibilitatem ex sapientia Dei seu Conditoris evincere nituntur.

## § 5.

*Plures dari mundos minime repugnat.*

Quorum opinionibus superque habitis audacter adferimus, plures mundos non solum interne, sed etiam externe esse possibles. Primum nec ipsi negant Leibniziani, & ex notione mundi superius adsignata facile evincitur: quid enim obstat, quo minus adferatur, possibilia esse plura systemata magna ex systematibus aliis composita? Alterum soli negant Leibniziani, & hoc quidem sine omni fundamento saltem sufficiente, vid. *Aetiology. cap. IV. §. 3.* Plures mundos re ipsa existere, dubium nobis esse videtur.

## C A P U T IV. DE CREATIONE MUNDI.

---

§ 1.

*Absurdae veterum de origine mundi sententiae.*

**O**pinionibus veterum gentilitatis Philosophorum de origine mundi nihil magis absurdum est: alii namque nullum mundi Conditorem admittentes, mundum sine causa quadam efficiente fortuito atomorum concursu formatum fuisse somnpiarunt; alii mundi quidem Conditorem statuentes, mundum tamen ex materia Deo coaeterna effectum esse opinabantur. Alii alias de origine mundi opiniones aequem omnes absurdas foverunt. *vid. bift. philosoph.*

§ 2.

*Impia Spinozae sententia de origine mundi.*

Benedictus Spinoza, vir inconstans in viis suis, unicam ajebat esse substantiam mundi; hic itaque mundum a Deo indistinctum, adeoque Deo coaeternum, seu verius, Deum ipsum aeternum esse contendebat. At hoc quid aliud est, quam Deum negare & atheismum profiteri?

§ 3.

## § 3.

*Mundus sine produzione existere nequit.*

Mundum esse contingentem, adeoque sine causa efficiente existere non posse, jam *supra cap. II. §. 3. consecr. primo*, innuimus ex notione mundi valide concludi. Mundum itaque, si existit, productum esse, necesse est.

## § 4.

*Mundus aeternus esse nequit.*

Cumque, quidquid productum est, aeternum esse nequeat, *Aetiolog. cap. VIII. §. 8.* Mundum non posse Deo esse coaeternum, liquet.

## § 5.

*Duratio quaecunque mundi finita est seu limitata.*

Mundum contingentem esse, adeoque sine productione existere non posse, ac consequenter aeternum esse non posse, mox dictum fuit *§. praeced.* unde patet, durationem mundi, quantacunque illa statuatur, necessario finitam esse.

*Corollarium.* Liquet inde, quantum ineptiant, qui causam Dei agere sibi videntur, si mundi exordium in tempora, quae nescio, remotissima reponant. Quasi vero tempus quodcumque aeternitati comparatum ceu nihilum reputari non debeat!

CA-

## C A P U T V.

## DE RERUM IN MUNDO NEXU.

## § 1.

*Quod detur in mundo nexus.*

Dari in mundo nexus, patet 1mo ex ipsa mundi notione: cum enim mundus unum aliquod systema sit ex pluribus aliis systematibus compositum; ex pluribus autem, nisi certo quodam modo inter se connectantur, unum nequeat constitui; manifestum est, systemata illa, ex quibus ceu partibus mundus componitur, inter se connexa esse debere. Porro 2do a causa intelligentia praedita ad fines non minus, quam a finibus in effectu relictentibus ad causam intelligentia praeditam, apte concluditur. Unde, cum mundi Conditor sapientissimus sit, ipse Deus, mundum sine fine haud condi in aprico est; cumque fine mediis haud obtineatur finis, in mundo fines simul & media dari, necesse est; sed ubi quaedam ceu media ad alia ceu ordinantur, ibi datur nexus. Evidens est igitur, in mundo dari nexus.

*Scholion.* Hujuscemodi nexus dari in mundo hoc nostro aspectabili per experientiam facile probatur.

## § 2.

## § 2.

*Rerum in mundo nexus contingens quidem, sed constans tamen est & uniformis.*

Et quamvis omnis, qui inter res mundi datur, nexus contingens sit: non enim nexus rerum in mundo, alius esse potest quam sit ipse mundus; constans tamen sit & uniformis. 1mo quia mundus, quo res in mundo inter se connexae sunt, ad essentiam mundi pertinet. 2do quia alias nullus in mundo ordo haberetur, quod sapientiae Conditoris repugnat.

## § 3.

*Mundi nexus a solo Deo ceu mundi Conditore mutari potest.*

Rerum in mundo nexus mutabilem esse vel inde satis intelligitur, quod sit contingens, §. *praeced.*; non tamen nisi a Deo ceu mundi Conditore mutari potest rerum in mundo nexus.

## § 4.

*Mutato nexus rerum in mundo mutatur mundus.*

Mutato rerum in mundo nexus mutari mundum, in aprico est: in modo enim, quo partes mundi inter se connexae sunt, mundi essentia consistit, mutata autem essentia mutari rem, certum est.

## § 5.

## § 5.

*Qualis fit rerum in mundo nexus? quod eundem realem causalem esse oporteat.*

Dari in mundo nexus, inde probavimus *supra* §. I., imo quod mundus sit ens aliquod maxime compositum, 2do quod in mundo alia ceu media aliis ut finibus subordinari, oporteat. Unde res mundi per causas finales inter se connecti, adeoque nexus mundi realem causalem esse, liquet. Quid? quod ordo, quo res mundi inter se dispositas esse decer, & principium rationis sufficientis *supra Cap. II. Aetiology:* propositum exposunt, ut unum alterius in mundo sit causa, sive vere efficiens, sive occasionalis solum. Rerum igitur in mundo nexus realem causalem esse necesse est.

## § 6.

*In mundo nihil evenit casu vel fortuito.*

Quandoquidem vero res mundi inter se conexae sunt, ita ut unum semper alterius in se contineat rationem, nihilque fiat sine causa, sive efficiente aut occasionali saltem, sive finali; manifestum est, in mundo nihil evenire casu seu fortuito: evenire enim casu dicitur, quod fit sine causa.

*Scholion.* Duplicem quandoque casum distinguunt Philosophi, absolutum scilicet & respectivum. Absolutus est, siquid sine omni plane causa; respectivus esse dicitur, siquid fiat ita, ut ejus nos causa lateat. De casu absoluto intelligi debet, quod dictum est: saepe enim saepius nos causas ignoramus eorum, quae sunt. Unde fit, ut tot eventus adscribamur fortunae sive prosperae sive adversae.

## § 7.

*Ex rerum in mundo nexu minime sequitur, omnes eventus in mundo esse determinatos, seu determinatam habere veritatem, in sensu saltē Leibniziano.*

Leibnizius, & qui illius placita sequuntur, ex nexus rerum in mundo perspicuum esse contendunt, omnes eventus in mundo determinatos esse, seu determinatam, ut ajunt, veritatem habere: quod in illorum saltē sententia idem est, ac si dicas, omnem effectum in hoc mundo produci a causa a causis denuo extrinsecis omnimode ad id determinata adeo, ut nullum plane ens, nulla causa semet ad aliquid pro lubitu determinet, vel determinare etiam queat, sed a causis plane extrinsecis determinari eam sit necesse. Sed hoc ex rerum nexus in mundo nunquam evincet Leibnizianus aliquis. Non igitur ex rerum in mundo nexus sequitur, omnes eventus in mundo determinatos esse seu determinatam habere veritatem, in sensu saltē Leibniziano. Ut vero intelligas, non sine ratione addi: *in sensu Leibniziano*; scire te oportet, fuisse Philosophos & quidem ex iis etiam, qui audiē Leibniziani gestiunt, qui tamen vel inde solum convincuntur, quod Leibnizii mentem haud sint adsecuti, fuisse, dico, Philosophos, qui omnes eventus in hoc mundo determinatos esse adseruerint, sed in sensu plane alio, longeque mitiori.

## § 8.

*Quod ergo quare dici nequeat, omnes eventus in mundo determinatos esse in sensu Leibniziano.*

In mundo quoconque esse debere entia libertate praedita, ex fine creationis evidenti demonstra-

stratur argumento. Jam vero libertatis notio exponit, ut ens liberum semet ad aliqua pro suo lumen determinare queat, utque non omnimode determinetur a causis extrinsecis (notionem hanc nihil involvere absurdum, eamque veram esse libertatis notionem suo loco, in philosophia scilicet morali monstrabitur) Vides igitur, quod & quare dici nequeat, omnes eventus in mundo determinatos esse, in sensu saltem Leibniziano.

## § 9.

*Dida confirmantur ex adsertis Leibnizianorum.*

Porro Leibniziani non solum omne respuunt fatum, sed & contendunt, adstructo rerum nexu fatum tolli simul & refelli. Jam vero, admisso omnes in mundo eventus determinatos esse in sensu Leibniziano, fatum inducit & fatalis quaedam necessitas, quemadmodum mox infra capite sequenti ostendetur. Unde intelligis, nequidem a Leibniziano, si sibi constans esse velit in suis adscriptionibus, sustineri posse, eventus omnes in sensu Leibniziano determinatos esse.

## C A P U T VI. DE FATO.

## § 1.

*Fati nomen unde sit?*

Fatum a fari dicitur. Utque fatum adeo, si non men species, aliud non sit, quam quod fatus est aliquis, seu quod decretum est.

K 2

§ 2.

## § 2.

*Fatum quid?*

Fati nomine passim intelligunt quandam rerum, & quae in iis fiunt, mutationum omnium necessitatem,

## § 3.

*Necessarium quid? quotuplex sit necessitas?*

Ut vero, quae sit natura, quaeque sint species fati, plenius distinctiusque perspiciat, intelligatur necesse est, quid necessarium, & quotuplex sit necessitas; ideoque, quamvis de necessario ejusque divisione jam disputatum sit *supra Ontolog.* Cap. VI. ubi necessarium esse diximus illud, cuius oppositum est impossibile, quod idem est, ac si dicas: necessarium est, quidquid ita est, vel sit, ut illud non esse vel non fieri, aut etiam non esse vel non fieri eo modo, quo est vel sit, repugnet, varias necessitatis species hic denuo exponendas esse duximus. dividitur autem necessitas (de necessitate loquimur existentiae) primo in necessitatem independentiae, quae competit rei, quae & in quantum existit ita, ut illi intuitu sui, suaequae essentiae repugnet non existere; quamque vel ideo & semper extitisse, & sine fine extituram esse, necesse est; & necessitatem consecutionis, vi cuius alicui, non quidem ratione sui, sed ratione tamen suaee causae repugnat non existere. Necesitas porro consecutionis in absolutam, ubi vel causa etiam est necessaria. & hypotheticam, ubi causa est libera, seque libere ad ponendum effectum determinasse censetur, subdividitur. Distinguendum est

est denique, an libertas, vera tamen seu talis qualis descripsimus supra cap. praeced. §. 8., ratione existentiae rerum in hoc universo, & quae in iis sunt, quarundam mutationum, causae solum primae, an causis etiam secundis sive creatis, saltem aliquibus, ratione scilicet praeditis competere dicatur. Si primum; necessitatem, hypotheticam ex parte causae solum primae, absolutam vero ex parte causarum secundarum. Si alterum; hypotheticam ex parte causarum etiam secundarum ratione praeditarum adpellabimus.

## § 4.

*Quaenam ex dictis necessitatis speciebus nomine fati veniat?*

Quaeri nunc potest, quaenam ex recensitis necessitatis speciebus nomine fati veniat. Ad quam quaestionem cum saniore Philosophorum parte respondemus, recensitas modo necessitatis species, si solam exceperis ultimam, quam hypotheticam ex parte causarum secundarum ratione praeditarum adpellavimus, omnes nomine fati donandas esse: fatalis namque, id est, contraria sive perfectionibus divinis, sive bono rerum creatarum, entium scilicet ratione pollutum, est omnis illa necessitas. De necessitate absoluta ex parte causarum secundarum solum id negant aliqui; sed certum est illa admissa, quemadmodum admittere illam Leibniziani convincunt ex eo, quod adserant, omnes eventus in mundo determinatos esse, *vid. supra cap. praeced. §. 7.* omnia ex decreto fieri divino, nec posse homini effectum aliquando magis impetrari quam lapidi; quandoquidem ille aequa semper determinetur a causis extrinsecis quam iste.

K 3

§ 5.

§ 5.

*Diversae fati species.*

Variae fati distinguuntur species, quae ab auctoribus suis nomina fortiuntur. Famosiores sunt, fatum mahumedanum, stoicum, & spinozianum. Mahumedanum necessitatem fingit ab omnibus mediis, motivisque absolutam, ita ut effectus ex Decreto Dei sequi debeat, sive media & causae adfint sive minus; adeoque valde absurdum est, quia omnem rerum in mundo nexus & cum nexus ordinem tollit. Stoicum necessitatem non equidem a mediis & motivis, attamen ex parte causarum tam primae quam secundarum absolutam adstruit; quod, praeterquam quod Deo sit indignum, sustineri nequit ob rationem jam supra cap. praeced. §. 8. adductam. Fatum caeterorum absurdissimum est spinozianum, absolutam independentiae necessitatem statuens; Spinoza namque unicam esse mundi substantiam, eamque necessariam necessitate independentiae somniavit.

---

**C A P U T VII.****DE MIRACULIS.**

---

§ 1.

*Natura quid?*

**U**t notio miraculi, de quo hoc capite praesente dicturi sumus, distincta habeatur, necesse est notiones quasdam alias, veluti naturae, naturalis & su-

supernaturalis, soliti & insoliti, utpote notio-  
nem miraculi ingredientes, prius exponi. Natura au-  
tem praeter significationes alias complures, quas  
vox illa admittit, in triplici plerumque sensu acci-  
pitur. Imo naturae vocabulo comprehenduntur per-  
fectiones Dei infinitae simul ac rerum creatarum  
essentiae, vires, facultatesque tam agendi quam pa-  
tiendi &c. 2dō sumitur natura pro collectione virium,  
facultatumque tam agendi, quam patiendi, quae  
entibus quibuscumque attamen creatis solum, mun-  
dum constituentibus, tam materialibus quam etiam  
materiae expertibus simul sumtis insunt; legum  
item, quibus entia mundi quaecunque agunt vel  
aguntur ad obtainendos fines a Deo sibi praestitutos.  
Ac denique 3tio accipitur natura pro viribus facul-  
tibus &c. entis cuiusvis individui. Atque in sensu  
ex duobus posterioribus alterutro naturam in pra-  
fente hoc capite accipiemus, significatione naturae  
priori in jure primum naturae usuri.

*Scholion.* Naturam in scholis alias dividebant  
in naturam, ut ajebant, naturantem & naturam  
naturatam. At vocibus tamen hisce barbaris vel  
nullae plane vel saltē ineptae respondere queunt  
ideae. Unde vel nominasse eas jam nimium puta-  
mus. Plato etiam, nisi forte adficta sit Platonii  
opinio adeo insulsa, universalem quandam statuit  
naturam, quam animam mundi adpellabat.

## § 2.

*Quid ordo seu cursus sit naturae?*

Ex dictis §. *praeced.* facile est intelligere, quid  
ordo seu cursus sit naturae. Nimicum est conse-

cutio eventuum in mundo naturae viribus, legibusque consentanea.

## § 3.

*Quid naturale? quid supernaturale?*

Nec magis difficile est ex dictis eruere notiones naturalis & supernaturalis. Attamen discutiendae sunt prius significations variae, in quibus vox, naturale, sumitur. Sic 1. naturale prout opponitur artificiali, quod accidente artis industria perficitur, significat id, quod fit a causis naturalibus juxta leges & ordinem naturae citra artis directionem. 2. Naturale, prout opponitur moralisive libero, denotat illud, quod fit sine cognitione intellectus, ac proin citra voluntatis etiam imperium. 3. Naturale tandem, prout opponitur supernaturali, intelligitur esse id, cuius ratio in viribus & legibus ad naturam pertinentibus continetur: supernaturale autem, cuius ratio in viribus aut legibus ad naturam pertinentibus haud continetur, ac proinde extra vires & leges ad naturam pertinentes est quaerenda.

§ 4.  
*Solitum quid? quid insolitum?*

Solitum dicimus, quidquid fit juxta stabilem quandam & universalem legem, sive in naturalibus illud sit, sive in supernaturalibus; insolitum contra, quod non ita fit.

§ 5.  
*Miraculum quid?*

His ita praejectis distincta erit notio miraculi, si dicatur miraculum esse effectum subnaturalem

lem insolitum; quam vocem, *insolitum*, in notione miraculi addendem esse putamus propter operationes divinae gratiae in nobis, quae licet supernaturales sint semper, pro miraculis tamen non habentur, nisi insolitae sint & extraordinariae, id est nisi fiant praeter leges stabiles & universales, quibus Deus gratia sua in hominibus solet operari.

*Coroll.* Miraculum igitur, quoties illud re ipsa a nobis percipitur, in sui quidem admirationem, nos rapit; Attra men, quod ita nos rapiat in admirationem sui, miraculo plane accidentale est, adeoque miraculum confundi non debet cum miro aut cum portento naturae, quemadmodum id *falso* confuderunt Spinoza in *Traict. Theologico. Politico C. 6.* & Lockius in *dis cursu de miraculis* gallice edito. Aequem parum ad essentiam miraculi pertinet raritas: quod si enim solum effectus supernaturales dici possent miracula, qui raritate se commendant; prodigia, quae Christus & Apostoli frequentissime patrarunt, pro miraculis habenda non forent.

### § 6.

#### *Probatur, possibilia esse miracula.*

Miracula, vera utique, id est, effectus vere supernaturales & insolitos, possibilia esse, praeter jam citatos Spinozam & Lockium negarunt adhuc alii, & etiam nunc aliqui negant, sed ausu plane temerario: quis enim, nisi plane sit impudens, ausit denegare Deo vim producendi effectum, cuius ratio sufficiens in natura contineri non possit. Quis inquam negabit, Deum, qui vires rebus omnes est impertitus, posse, si velit, impedire, quo minus illae effectum sortiantur, aut leges, quas liberè posuit, pro beneplacito suo immutare.

K 5

§ 7.

## • § 7.

*Ut miraculum fiat, adsit necesse est causa quaedam specialis.*

Ut ut autem de possibilitate miraculorum dubium esse nequit, miraculum tamen ut fiat, adsit necesse est causa quaedam specialis: per miraculum enim quaedam quasi vis infertur naturae, a legibus divinae providentiae stabilibus & universalibus receditur, & vere interturbatur ordo naturae; quae omnia facile & sine speciali causa fieri, nemo diceret.

## § 8.

*Quaenam sunt ejusmodi causae speciales?*

Providentiae divinae etiam communis, ordinariae, pradeterminantem vocat Crusius, sed magis tamen specialis, extraordinariae seu miraculose esse intelligitur, ut nihil Deus in creaturis aliter, quam intuitu finis ultimi, ad suam scilicet ipsius gloriam & ad creaturarum bonum felicitatemque operetur. Miraculum igitur ut fiat, id quidem necesse est fieri exposcant vel Dei gloria vel bonum creaturarum, id quod non exposcent, nisi quando finis hic duplex non aequa obtineri potest per effectus mere naturales.

## § 9.

*Quod & quare difficile sit saepe in casu individuo determinare, an patratum sit miraculum.*

Et quamvis miraculum universe per notas hæc signatas ab eventu naturali facili negotio dis-

discernatur, difficilius tamen, ac plures credunt, est miraculum in casu individuo ab eventu naturali discriminare, atque sic determinare, an patratum sit miraculum, vel ne. Cujus ratio in promptu est: minus enim vires, legesque ad naturam pertinentes nobis sunt perspectae, quam ut determinare continuo possimus, an effectus aliquis per illas sit possibilis, vel ne.

## § 10.

*Miraculorum divisio.*

Duplex miraculorum genus distinguitur. Alia namque dicuntur miracula quoad substantiam, alia quoad modum. Miracula quoad substantiam sunt effectus, quorum ratio in viribus & legibus ad naturam pertinentibus plane non potest contineri; ut mortui ad vitam revocatio. Miracula quoad modum dicuntur effectus, qui quidem intuitu sui habere possent rationem in viribus & legibus ad naturam pertinentibus, non possunt tamen ratione adjunctorum temporis loci &c. ut si quis tabe diutina confectus pristino vigori in momento restituatur. Miracula porro a quibusdam dividuntur in miracula stricte sumta, absolute supernaturalia, & in miracula latius accepta, respective supernaturalia. Illa esse ajunt effectus vires legesque naturales quarumvis creaturarum exsuperantes, haec dicunt esse effectus exsuperantes quidem vires legesque naturales hominum rerumque mere corporearum, sed non aequae aliorum superioris ordinis entium, videlicet Angelorum five bonorum five malorum.

## § 11.

## § II.

*An effectus per angelos, sive bonos sive malos,  
producti adnumerandi sint miraculis.*

Quaeritur, an effectus per Angelos, sive bonos sive malos, producti miraculis adnumerandi sint; ad quam quaestione omnino respondendum esse putem; 1. quod effectus per angelos, juxta vires legesque proprias naturae angelicae producti absolute quidem supernaturales, ac proinde miracula stricte sumta non sint, possint tamen respective quoad nos dici supernaturales, sintque miracula latius accepta. 2. Quod, si quando per angelos producantur effectus, qui vires etiam legesque angelorum, atque sic entium quorumvis creatorum naturales exsuperant, ejusmodi effectus esse dicendi sint miracula stricte dicta; quod tamen ejusmodi effectus angelis non aliter, quam instrumentis, seu causae vero soli adscribendi sint Deo, de quo dicitur Psalm. 72., qui facit mirabilia solus.

## C A P U T VIII. DE PERFECTIONE MUNDI.

## § I.

*Celebris de perfectione mundi controversia.*

Celebris est Philosophorum de perfectione mundi controversia, quem omnino optimum seu perfectissimum esse adfirmant alii, alii contra eundem valde imperfectum esse arguunt.

## § 2.

## § 2.

*Momenta eorum, qui mundum esse optimum adfirmant.*

Inter eos, qui mundum esse optimum, adfirmant, celebriores sunt Malebranchius & Leibnizius; momenta vero, quibus hanc suam stabilire sententiam adlaborant, principaliora taltem sunt sequentia. Deus perfectiones suas necessario amat, eas etiam modo perfectissimo in operibus suis exprimere tenet; adeoque mundum a Deo conditum operet esse optimum. Argumentum hoc est Malebranchii. Leibnizius vero ex famoso suo, ut quidem putant Leibniziani, rationis sufficientis principio evinci existimat; sic enim argumentatur ille. Non potest aliquid fieri sine ratione sufficiente; jam vero, si mundus a Deo conderetur non optimus, fieret aliquid sine ratione sufficiente; imo vero, pergit idem, contra rationem sufficientem aliquid fieret. Mundum igitur a Deo conditum oportet esse optimum.

## § 3.

*Quam parum valere nobis videantur adducta argumenta?*

Revera tamen haud multum valere nobis videntur adducta argumenta; quae, siquid probarent, omnino probarent nimium; probarent enim mundum a Deo non libere sed necessario fuisse conditum, adeoque contingentem non esse. Vel verius, mundum a Deo plane condi non potuisse. Nonne enim ex eo primum, quod Deus perfectiones suas necessario amat teneatur eas

mo-

modo perfectissimo exprimere in operibus suis, si cum Malebranchio illud pro vero admittas, inferre licet, mundum a Deo non libere sed necessario fuisse conditum: mundo enim non condito nullatenus exprimerentur perfectiones divinae. Aequo etiam libertati divinae in condendo mundo repugnat principium rationis sufficientis Leibnizianum *vid supra cap. V.* Quo tamen absurdo nondum est satis, nam & aliud adhuc & quidem priori plane contradicens sequitur absurdum; nempe quod mundus a Deo produci plane non potuerit: cum, Deus producere non possit illud, quod est impossibile, quemadmodum revera impossibilem esse mundum optimum, haud difficuler intelligitur: mundus enim optimus finitus simul esse deberet & infinitus. Finitus, utpote ens compositum. Infinitus, utpote optimus seu perfectissimus: quod enim infinitum non est, perfectissimum esse nequit: cum finito quocunque melius dari possit sive perfectius.

## § 4.

*Momenta eorum, qui mundum valde imperfectum esse arguunt.*

Qui mundum contra valde imperfectum esse arguunt, ex malis, quae in mundo nostro aspectabili, individuo, deprehendere sibi videntur, nimiis evincere id ipsum conantur: quomodo nam, aut, perfectus dici potest mundus (de mundo tamen hoc nostro aspectabili solum debent intelligi) qui omnigenis refertus est imperfectis, in quo parum boni, mala vero quasi innumerabilia sunt?

## § 5.

## §. 5.

*Quod plane absurdum sit isthaec argumentandi ratio.*

Sed ingratum istud mortalium genus cum absurdum sua argumentandi ratione a pluribus iam refutatum est. Praeter alios, qui hac de re fuisse tractarunt, veluti Leibnizius in tractatu, quem *Theodiceam inscribit*, Bilfingerus in comment: philosophica de origine & permissione mali praecipue moralis, hoc super argumento legi meretur Cl. Feder *Theolog. natural.* §§. 9. 10. ubi patiens sed solide ostendit, fallam, temerariam, imo sacrilegam esse istorum hominum adserionem.

## §. 6.

*Perfetio mundi undenam aestimanda?*

Ut tamen, quid hac de re, de perfectione scilicet mundi sentire nos deceat, intelligamus; praeprimis constituamus necesse est, unde aestimanda sit mundi perfectio. Quam iuxta notionem perfectionis supra *Aetiolog. Cap. X.* expositam non aliunde aestimandam esse patet, quam ex summa realitatem in mundo, & quae inde resultat, ejusdem ad fines sibi praestitutos sufficientia.

## §. 21.

*Quod plane difficile sit mundi determinare perfectionem.*

Unde intelligis, plane difficile esse, mundi determinare perfectionem: nam, licet finis mundi ultimus, isque duplex, Gloria Dei, & creatu-

rarum bonum sive felicitas, a nobis facile intelligantur, realitates tamen mundi, ejusque per eas, & fines intermedios, certe complures, ad finem istum ultimum sufficientia haud ita facile, imo vero plane difficulter perspiciuntur.

## § 8.

*Quo potissimum argumento probetur Mundi perfectio?*

Licet autem determinare quidem perfectiōnem mundi haud quaquam valeamus; mundum tamen quemcunque conditum perfectum esse, omnino evincitur inde, quod Deus utpote sapien-tissimus & summe providus mundi cuiuscunque Conditor mundum producere non possit, quin eum ad fines simul, quos eidem praestituit, aptum reddat. Imo vero mundus dicendus est optimus, sed eo in sensu, quod revera talis sit, qualem vult esse Deus, qui perfectionis simul & bonitatis tons est & origo.



SYS.


facile intelli-  
ue per eas, &  
finem istum  
no vero pla-


tur Mundi

em perfectio-  
s; mundum  
n esse, om-  
bre sapien-  
cujuscunque  
posse, quin  
praetinuit,  
dicendus est  
vera talis sit,  
onis simul &



✓✓✓





# TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue      Cyan      Green      Yellow      Red      Magenta      White      3/Color      Black

## TIFFEN® Gray Scale

A	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
R	B	G	W	M	K	g	b	r											

© The Tiffen Company, 2007

Philos. 439.

